5.6.38

Digitized by Google

PHILOSOPHIA MENTIS

S I V E

METAPHYSICAE INSTITUTIONES.

VOLUMEN SECUNDUM.

Digitized by Google

PHILOSOPHIA MENTIS

SIVE

METAPHYSICAE INSTITUTIONES

STUDIOSIS

SEMINARII ARRETINI

JUVENIBUS ACCOMMODATAE

AUCTORE

P. FRANCISCO MARIA

A SANCTA THERESIA

EX ORDINE CARMELITARUM EXCALCEAT.

ATQUE

IN EODEM EPISCOPALI SEMINARIO

UNIVERSAE PHILOSOPHIAE PROFESSORE.

ARRETII MDCCLXVIII.

Typis Michaelis Bellotti Impreſſoris Epiſcopalis.

PRAESIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

METAPHYSICES
PARS TERTIA.
PNEUMATOLOGIA
SIVE
DE ANIMAE BRUTORUM NATURA EJUSQUE VIRIBUS.

CAPUT UNICUM.

QUicunque in Tertia hujuſce Metaphyſices Parte uſurpatam Tituli loquutionem animadverterit, mirabitur profecto, me rei huic minus accomodata, atque illa praeſertim uti voluiſſe nomenclatura, quam pro alterius Diſſertationis fronte quotquot de ſpiritibus metaphyſico more egerunt, adhibe-

re conſueverint. Etenim infrequens haud eſſe docti homines norunt omnes, *Pneumatologiam* cum *Pſychologia*; ſi graecanicas voces expendamus, a quibus iſtae ortum habent; promiſcue uſurpari a Philoſophis ſolere (eſt enim *Pſychologia* graeca nominis poteſtate quaſi λόγος περὶ τῆς ψυχῆς; ideſt *Diſſertatio de Anima*; quod eſt *Pneumatologia*; cujus vocabuli vis *de Spiritibus Sermonem exprimit*). Attamen cum mihi *de Brutorum Anima* peculiari Diſſertatione funditus inquirere, ac nonnulla Theoreticis Propoſitionibus ad rem hanc pertinentibus ſtatuere propoſitum fuerit, haud equidem conſpicere potui, quid eo vocabulo Parti huic foret accomodatius. Mihi nimirum de animabus acturo e duobus unum ſeligendum nomen erat; aut *Pſychologia* videlicet, aut *Pneumatologia*. Quum itaque illam pro ſecunda hujus Metaphyſices Parte adhibuerim, nihil reliquum ſupereſſe videbam, niſi ut pro Belluarum anima in ipſa Diſſertationis fronte *Pneumatologiam* locandam curarem. Hanc itaque de Brutorum Spiritibus ſub memorato nomine Diſſertationem ita temperare conabor, ut animan-

tium

tium dignitas, quemadmodum a nonnullis Clariſs. Viris factum fuiſſe didicimus humanae haudquaquam excellentiae praeſtet aut coaequari valeat; neque inferne adeo locanda ſit, ut ad medium, ſpiritum inter & materiam, ſubſtantiae genus aliquod detrudatur. Tantum quippe eos vitupero ſeu Philoſophos, ſeu Poetas (quos inter ſingularis fuiſſe videtur Clariſs. caeteroqui Britannus Vates Poppe [a]) qui humanam naturam a ſuis dejicere juribus non ſunt idcirco veriti, ut animantium Spiritum aequo magis attollerent quantum ſana mens recteque exculta poſtulare videtur. Verum tametſi hoſce, qui ita perperam ſentiunt, improbare non deſinam, non uſque adeo tamen Belluarum ſubſtantiam veluti in caeno relinquere patiar, eaſdemque tantum *Beſtias* eſſe, quantum vulgo fortaſſe haberi ſolent, nequaquam affirmabo. Enimvero ſpectatis quaquaverſum earum operationibus; quae mirificae plane ſenſibus & cogitationi ſe ſe offerunt; magnam ipſe menti bene efformatae & initiatae vim faciunt.

(a) *Praeſtantiſſimi bujus Viri celebre de Homine elucubratum ſpecimen adeat unuſquiſque cui lubeat* Epiſt. 3.

ciunt. Quapropter neminem profecto futurum exiſtimo, qui funditus eas inter & hominem inſpecta analogia; in viribus ſcilicet quum internis tum externis imprimis; in ſenſationibus deinde, in loquela, in ſolertia ad res ſibi proficuas comparandas, in aſtu ad noxia aut praecavenda aut propulſanda, in affectionibus ſingulis, in virtutibus demum, ſeu in iis, quae virtuti & honeſtati ſimillima videri poſſunt; neminem inquam ita demum futurum eſſe in adverſa ſua opinione perperam obfirmatum, qui perſpicue patenti de *Brutorum anima* veritati, variis hic pro more noſtro demonſtrationibus, partiendae victas dare manus velit refragari. Ut itaque hac in re quoque a ſimplicioribus, minuſque dubiis exordiamur, ut inde ad difficiliora magiſque hodierna tempeſtate controverſa facile tranſire valeamus, nonnullos primum Canones mihi lubet conſtituere, quae captu adeo pervia videri debent, ut inter *Axiomata* non immerito ab omnibus poſſent adnumerari.

Canon I.

§. 1. *Unicuique ex illis philoſophandum eſt ideis; ſive ex iis tota hominum ſcientia notionibus expiſcanda eſt, quas plerumque naturae viribus comparare poſſunt Philoſophi.*

Scholion.

§. 2. Tota, quanta late patet, ea quae humanum occupat ingenium, ſive ſapientia, ſive eruditio, idearum praeſentium e ſenſibus profluentium ambitu continetur. Quiſquis igitur ſcientia excellere cupit, ac nova in dies eruditionis ſuae incrementa aſſequi ſtudet, contentus is eſſe debet ita mentem excolere ut tamen earundem idearum Provinciam haudquaquam tranſiliat. Quapropter in Philoſophia nullus ea nobis debet proponere, quae omnem idearum ſive perceptionum noſtrarum fines excedant, niſi pro impoſtore plane a ſapientioribus haberi velit. Incredibile pene dictu eſt quantum prodeſſe valeat Canon jam conſtitutus; non quia ſolum ad laſcivientia ingenia, & nimium phanatiſmi aeſtu ferventia, coercenda admodum appoſitum ſit, verum etiam ad multiplicium errorum mon-

ſtra

ſtra paucis proſternenda aptiſſimum videatur. Nemo ignorat quot litteris incommoda attulerit novae & mortalibus omnibus ignotae ſive incomprehenſibilis ſapientiae adinveniendae ambitio, niſi qui in Republica litteraria hoſpes eſt omnino, & litterariae hiſtoriae plane jejunus. Attamen non idcirco putandum eſt, eruditos homines & in ſcientia aſſequenda ſobrios non continuo novitatibus hiſce totam obſiſtendi eorum vim, opponere: Eſto commenta id genus ſub initium eorum recenti inventione cum plauſu recipiantur; attamen, quum falſa & inania quaelibet temporis decurſu quodammodo abſumantur & evaneſcant, ſyſtemata quaecunque recentia & pulcherrima brevi annorum (ne dierum dicam) tranſitu per ſe ſe elangueſcunt & pereunt. Inter haec prae caeteris commenta non recenſeri tantum debent, verum etiam ob oculos ſtatui, que a Pythagora *de Numeris & Metempſychoſi*, quae a Platone *de Ideis aeternis*, quae ab Ariſtotele *de Materia unica*, *immenſa*, *& ſimplici*, quae a Scholaſticis *de Forma ſubſtantiali*, quae a Fluddo atque Cudworthio,

alii-

aliiſque *de Anima mundana*, quae a Mallebranchio *de Cauſis occaſionalibus*, nec non *de Cognitione omnium in Deo*, quae a Leibnitio *de Harmonia praeſtabilita*, quae a Carteſio *de Belluarum Automatibus*, quae demum a Veteribus ſimul ac Recentioribus Philoſophis omnigena opinionum varietate atque ingenti inter eos pugna & maxima contentione ſcripta & poſteritati commendata fuiſſe memoriae proditum eſt vulgatiſſimae. Tantis igitur celebriorum in Philoſophia hominum exemplis, tam memorandis tot ſyſtematum caſibus, quidni invictum cuipiam praebet decernendi argumentum; quidquid nimirum a definita perceptionum humanarum ſerie abeſt penitus, idipſum ſponte veluti ſua, vel ſapientum omnium confutatione concidat & pereat neceſſe eſſe.

CANON II.

§. 3. *Ea inter nos tanquam indubia & certa haberi neceſſe eſt, quae aut perſpicua mentis perſuaſione intimaque conſcientia aſſequimur atque intuemur; vel quae clara demonſtratione ita ab omnibus intelliguntur, ut horum nemo exiſtat iiſdem refractarius;*

niſi

niſi qui prima Litterariae Reipublicae fundamenta ſubvertere conetur.

SCHOLION.

§. 4. De *Veritatis* Criterio neminem latet quanta ſemper animorum contentione diſputatum ſit. Veterum ea de re concertationes omnes & ſententias perdocte perinde ac dilucide proſequitur, quum Petrus Valentia in *Academicis*, tum etiam uberius enarrat Clar. Villemandy in ſuo *Scepticiſmo debellato*. Quotquot Veterum & Recentiorum fuerint huc uſque opiniones ad tria genera referri tandem poſſunt: Etenim Epicurei ac Stoici ad *phantaſiarum perceptarumque rerum* perſpicuitatem confugerunt: Platonici vero corporum omnium; quae tanquam nec aeterna nec immutabilia ſpectabant; quum nullam eſſe ſcientiam, ſed opinionem tantum docerent; veri cujuſque teſſeram in clara idearum aeternarum, quas ſummus rerum Opifex Deus mentibus hominum infundit, intellectione inveniendam eſſe docuerunt: Sceptici tandem nullum eſſe veri criterium definierunt. Quidquid adverſus hoſce Veteres Philoſophos dici jure ne an injuria poſſit, noſtri

ſtri profecto non eſt inſtituti hic inveſtigare: Extra omnem dubitationem vero eſt, recentiores omnes idearum claritatem & evidentiam indubia veritatis eſſe argumenta unanimi conſenſione fateri. Inter hoſce Carteſius claram diſtinctamque intellectionem tanquam ejuſdem veritatis ſinceram lucem habendam eſſe ſic demonſtrat: *Quoties voluntatem in judiciis ferendis ita contineo, ut ad ea tantum ſe extendat, quae illi* clare & diſtincte *ab intellectu exhibentur, fieri plane non poteſt ut errem; quia omnis clara & diſtincta perceptio proculdubio eſt aliquid, ac proinde a nihilo eſſe non poteſt, ſed neceſſario Deum Auctorem habet; Deum, inquam, illum ſumme perfectum, quem fallacem eſſe repugnat; ideoque proculdubio eſt vera. Nec hodie tantum didici quid mihi ſit cavendum, ut nunquam fallar, ſed ſimul etiam quid agendum, ut aſſequar veritatem: Aſſequar enim illam profecto, ſi tantum ad omnia, quae profecto intelligo, ſatis attendam; atque illa a reliquis, quae confuſius & obſcurius apprehendo, ſecernam* (a). Quotieſcumque igitur vel

(a) Medit. IV, prope finem.

vel ea, quae per ſe ſe ſtatim innoteſcunt, vel quae ex hiſce liquida & neceſſaria demonſtratione conſequuntur, clare diſtincteque intelliguntur, tunc omnis de Veritate ſcrupulus e mente abſcedere debet, neque de ipſa vel minimum eſt ambigendum.

CANON III.

§. 5. *Ex iiſdem cauſſis iidem ſemper proficiſci plerumque debent effectus, atque ex ſimilibus ſimiles: Quemadmodum ex iiſdem effectibus eaedem cauſſae argui plerumque poſſunt, nec non ex ſimilibus ſimiles cauſſae ſunt ab omnibus eruendae.*

SCHOLION.

§. 6. Quicunque (ut paucis me expediam) principia hujuſmodi univerſim aut adſpernantur, aut concedere renuunt, ii omnem rerum ordinem, omneſque ſcientias phyſicas evertunt. Quare Canon modo conſtitutus majori illuſtratione indigere haudquaquam videtur.

Tribus itaque hiſce ſtatutis, reliquum eſt ut ad alia in propatulo exponenda progrediamur, quae a quotidiano rerum uſu derivata conſpicimus, quaeque ſub eo, quem modo locare ſtudeo, adſpectu inficiari nemo cordatus ex Carteſianis audebit.

ANIMADVERSIO I.

§. 7. *Quamplures belluarum oculis obverſantur noſtris operationes, quae ſaltem ſpecie tenus fieri ab illis abſque cognitione non poſſe videntur.*

SCHOLION.

§. 8. Neminem Animadverſioni huic refractarium, etſi Brutorum ſpiritalium infenſiſſimum, habere me poſſe judico. In eo enim toti ſunt Carteſiani, ut quod judicio & cognitione praeditum eſſe in belluis apparet, vi ſolius mechaniſmi explanare & conciliare conentur. Aliquid ergo & ipſis negotii faceſſit, quod tanta tamque mira a belluis peragi videant, atque idcirco ut a principio aliquo intellectivo haud prodire illa demonſtrent, ad ſyſtema Automatum callide ipſi confugiunt.

ANIMADVERSIO II.

§. 9. *Belluae paſſionibus iiſdem ac homines; ira ſcilicet, odio, zelotypia &c. inſpecta ſaltem rerum ſpecie, obnoxiae deprehenduntur.*

SCHOLION.

§. 10. Quiſquis attente brutorum paſſiones ſpectare non refugit, in iis totum de-

pre-

prehendere cogitur, quod in hominibus iiſdem affectionibus correptis contingere ſaepe videmus. Unam certe rerum corticem in animantibus inpraeſentiarum expendere volumus, non vero principium activum aliquod, a quo paſſiones ejuſmodi ortum fortaſſe ducere valeant. Attamen *non vides*, inquit Seneca ad Novatum ſcribens, *ut omnium animalium, ſimul ad nocendum inſurrexerunt, praecurrant notae, ac tota corpora ſolitum quietumque egrediantur habitum, & feritatem ſuam exaſperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu: taurorum cornua jactantur in vacuum, & arena pulſu pedum ſpargitur: leones fremunt: inflantur iratis colla ſerpentibus: rabidorum canum triſtis aſpectus eſt. Nullum eſt animal tam horrendum, tamque pernicioſum natura, ut non appareat in illo, ubi ira invaſit, nova feritatis acceſſio* (a).

ANIMADVERSIO III.

§. 11. *Belluarum obſervatione atque ex ea, quae apud nos eſt cum ipſis conſuetudine, ipſae objecta varia diſtinguere videntur, utilia a noxiis, amica ab infeſtis facile internoſcere aeque conſpiciuntur.*

(a) Lib. I. *De ira* Cap. I.

Scholion.

§. 12. Hoc unum duntaxat hic poſtulo, quod omnibus eſt in propatulo. Negari ſiquidem à nemine poterit, ex voce, ſibilo, ſtrepitu, odore, aliiſque ſignis objecta ab animantibus diſcerni videri; immo in hiſce homine ipſo apparent eſſe ſagaciora. Canes *ex. gr.*, equi, elephantes ita ſe gerunt ac ſi voces revera diſcernere varias noſſent. Iis auditis de objectis, quae nondum viderunt, ea eſſe amica aut inimica praeſcire monſtrant: Nam ſi amica fuerint, toti ſe comparant, ut blande amiceque excipiant; contra vero ſi inimica, exaſperantur, ſeque ad praelium accingunt, in aciem ſi res ferat prodituri. Canes praeterea (quod negatum homini patet) odore ipſo de objectis vulgo judicare creduntur; iidem ad incertos rumores aſſurgunt, adſtant incerti, quouſque amici ne adveniant, an inimici ſentiant: tum poſt certiores conjecturas, aut inſiliunt furentes, aut blandientes occurrunt.

Animadversio IV.

§. 13. *Quemadmodum injuriae aut mali inſtantis opinio in iram metumque hominem*

adigit, ſic eadem opinione animantia corripi videntur.

SCHOLION.

§. 14. Quae iram, metumve in homine antecedunt, aut conſequuntur, eadem in brutis ad amuſſim apparere cernuntur. Irae haec in homine ſigna. Excandeſcunt vultus, & oculi; contrahuntur pili, geſtiunt artus: Inde violenti motus, adverſus pericula impetus, in id quod caepere pertinaces ac neceſſitudinum immemores deprehenduntur. Videre eſt igitur in cane irato quoque rubeſcere oculos, corripi undique pilos: tardi initio graveſque motus; oculorum capitiſque agitationes: mox immanis feruſque impetus; nullus periculi metus, nulla aeque in familiares reverentia. Simiae praeterea non ex malo tantum corpori illato, verum etiam ex geſticulationibus quibuſdam, ſoniſque inconditis & injurioſis iraſci continuo percipiuntur; manent quinimmo in canibus perinde ac ſimiis injuriae alta mente repoſtae. Quotidianis id experimentis adeo erudimur, ut ſaltem inde inferre legitime poſſimus eadem ſe habere ratione pecudes ac homines

nes videri, quum earum paſſionum impetu exagitari contingat.

ANIMADVERSIO V.

§. 15. *Quae in homine, eadem eſt in brutis, ſaltem perfectioribus, ſenſoriorum ſtructura. Eadem nimirum aut ſimilis in ipſis apparet, zoothomiae opera, oculorum ſtructura, ſclerotide, humoribus, retina, muſculis, opticis nervulis conſtans; quibus etiam externa palpebrarum munimina accedunt. Magnam item cum reliquis humani corporis ſenſoriis analogiam ipſa bruta ſortiuntur.*

ANIMADVERSIO VI.

§. 16. *Plurimas operationes animalium ſpontaneis donari motibus apparens quaedam ratio ſuadet.*

SCHOLION.

§. 17. Id tantum in praeſens animadvertimus quod externae eorundem oeconomiae conſentaneum eſt; quemadmodum de reliquis memoratis ſupra (§. 9. 10. 11. 12. 13.) dicebamus. Caeterum rem adhuc non probe confectam intactam relinquimus, neque aliquid ea ſuper re definire audemus. Spontaneas autem appellamus motiones, quae ex animae nutu pendent; ſeu quas

anima ipſa vi atque imperio ſuo excitare potens eſt; quaeque tandiu ſunt perennes, quandiu perennis eſt animae nutus ille, ceſſant vero ex adverſo ſtatim ac nutum illum ceſſare contingit. Satis igitur conſtitutum modo ſit, omnimodam operationum analogiam bruta inter & homines intercedere: Nullus eſt enim in homine motus ſpontaneus, qui in pecude locum non habeat. Eaedem capitis commotiones, eaedem ferme oculorum converſiones, pedum elevationes, tenſiones, contractiones eaedem perinde utrimque ſpectari poſſunt.

Animadversio VII.

§. 18. *Dubitandum non eſt, quin, ut in hominibus fieri non ignoramus, pecudibus etiam voluptates, atque dolores, apparentes ſaltem, praeſto ſint.*

Scholion.

§. 19. Quemadmodum res eſt apud omnes explorata & conſtans, nullum in hominibus obrepere aut perfundi poſſe ſive dolorem ſive voluptatem, quae aut ab animae affectionibus, aut a corporis paſſionibus non proficiſcatur, ſtatuere idcirco mihi jure liceat, haſce etiam inter ſe oppoſitas

ſitas commotiones ita in pecudibus agere nobis videri, ſicuti a reliquis ſuperius memoratis paſſionibus bruta contorqueri, ſpecie tenus ſaltem, atque exagitari dicebamus (§. 9. §. 10.) Ejus rei evidentiſſimum cuique ſuppeditant argumentum ipſa animantium phoenomena cum iis, quae in homine voluptate aut dolore occupato contingunt, potiſſimum comparata. Quum itaque duarum maxime ſenſationum voluptates & dolores caeteris ſint exquiſitiores, quocirca *guſtus* & *tactus* ſenſiones hic paullo diſtinctius & accuratius perpendemus. Voluptatis aut doloris igitur vocibus eas paſſiones intelligo, quae in homine ita peraguntur: Si aequabilis fluidorum nervulorumque, qua corporis harmonia continetur, commotio fiat, aequabilis perinde voluptas vel ſuavis animae affectio nuncupari vulgo ſolet; ſi vero eadem harmonia perturbetur, pro majoris minoriſve perturbationis gradu, major efficitur dolor aut minor. Quum igitur bruta omnibus, quae in homine dolore aut voluptate affecto ſignis agere videantur, diſplicere certe Carteſianis non debet; immo fateri neceſſario

coguntur, apparens ſaltem ab iiſdem voluptatis atque doloris praeſeferri invictiſſimum argumentum. Enimvero in animalibus quibuſcumque generis eadem ac in hominibus in fame explenda cunctis cernentibus ſe ſe offert voluptas; eaedem contra corporis contorſiones, geſticulationes, atque clamores in vehementiſſimis doloribus quum in homine, tum in bruto. Omnis ergo, qui haec contingere conſpicit refragari non debet, quin concedat experientiae & facti evidentia compulſus, umbratilem ſaltem bruta ipſa cum hominibus dolorum voluptatumque habere communionem.

Animadversio VIII.

§. 20. Quemadmodum (Part. II. §. 18.) tanquam indubitatum conſtitutum a nobis fuit, ſpiritalem eam eſſe ſubſtantiam, quae corporea non ſit; *ita tanquam certum aeque concedi mihi poſſe puto, animas belluarum, vel omnino corporeas eſſe, vel plane ſpirituales.*

Scholion.

§. 21. Belluas ad tenuiſſimum quoddam ſubſtantiae genus, qua eorum anima conſta-

ſtaret; quaeque medium inter craſſa corpora atque ſpiritus locum haberet opinati ſunt Scholaſtici, Claudius Berigardus (a), Cardoſus (b), Baco de Verulamio (c), Petrus Gaſſendus (d), Maignamus (e), aliique docti Philoſophi: Quam deinde opinionem paulo vero ſimiliorem effeciſſe viſus eſt Andreas Rudigerus (f) Vir ſane Clariſſim., qui ſub initium ſaeculi hujus res philoſophicas novo auſu pertractavit. Is in ea fuit opinione; ut ſuum proveheret ſyſtema; diſtinguendam eſſe nimirum *materiam* a *corpore:* Corpus enim eſſe hoc contrectabile, ſolidum, iners, caeteriſque affectum qualitatibus; illam vero meram eſſe extenſionem primumque eſſe ſubſtramen, quum corporis, tum & ſpirituum & animorum. Unde eruitur, pecudum animas, quemadmodum & humanas mentes ſuam habere extenſionem, quacum vires activae atque vitales conjunctae ſint, ipſum ſenſiſſe.

B 4 Cae-

(a) *In Circulo Piſano* pag. 602.
(b) *Philoſophiae liberae* Lib. V. Q. V.
(c) *De augmentis ſcient.* Lib. IV. Cap. III.
(d) Phyſ. Sect. III. Lib. III. Cap. III.
(e) Philoſoph. Naturae Cap. XX.
(f) Apud Buddeum in Hiſt. Phil. pag 50.

Caeterum ego quidem perſuaſum habeo, nullam exiſtere ſubſtantiam, quae media ſit corpus inter & ſpiritum; ſive quae ita ſit materialis, ut, quemadmodum ſcripſerat olim Clar. Laurentius Comes Magalotius (a) *pizzichi come ſuol dirſi d' immateriale*. Id igitur, quod me ſentire profiteor, quamvis non aeque omnes ſentiant, attamen Geometrarum more mihi, opportunius probaturo, in praeſentiarum concedi cupio.

ANIMADVERSIO IX.

§. 22. *Non minus indubium eſſe autumo, & tanquam extra Catholicorum Philoſophorum diſputationem poſitum eſſe duco, & mihi etiam ab unoquoque facile concedendum fore confido, animas brutorum non eſſe totidem daemoniacos ſpiritus, qui detruſi a Deo fuerint in illorum corpora, ipſiſque animae inſtar alligati.*

SCHOLION.

§. 23. Expoſita modo ſententia, cujus contrarium velut indubitatum conſtituimus, veteribus pluribus placuiſſe viſa eſt, qui vel Metempſycoſin, vel animarum ante conditum Mundum praeexiſtentiam docuere. Noviſſi-

(a) Lettere Famigl. Parte I. Lett. XXIII.

viſſime vero & paucis ab hinc annis Auctor Libelli gallice conſcripti atque anno 1739. Pariſiis editi (cui titulus: *Amuſement Philoſophique ſur le langage des Beſtes*) eandem reſtituiſſe legitur. Hi itaque ſcriptores admirabilem plane opinationem ſuam nullo fulti ſolido fundamento innixi docuere niſi quod fuerint arbitrati, daemones, quum a Dei conſortio excidiſſent, immiſſos in varia corpora animantium ut ſcaeleris paenas darent. Haec tamen adeo Catholicis viris putida eſſe debent, ut pudeat ea ipſa refellere.

ANIMADVERSIO X.

§. 24. *Nemini dubitatio gravis & Philoſopho digna ſuboriri debet, animas belluarum ſpecie, ut ajunt, ſive eſſentialiter, ab animabus hominum non diſcriminari; immo oppoſitum tanquam ratum firmumque eſſe debet unicuique ratione & ſacris litteris recte utenti.*

SCHOLION.

§. 25. Nullum eſſe inter humanam atque brutalem animam eſſentiale diſcrimen, arbitrati ſunt ex veteribus Philoſophis Pythagoras, Plato, & ſi qui fuerint alii, qui

ani-

animarum *Metempſycoſin*, ſive tranſitum, non ſolum ex corpore humano in humanum, verum etiam ex humano in belluinum; & viciſſim ex belluino in humanum cum illis admiſerint. Omnium certe, quae tam in belluis, quam in hominibus exiſtunt animae, eadem natura eſſe debet, parque conditio, ſi, quae in hominibus modo ſunt, in belluis fuerint aliquando; & viciſſim ſi quae nunc ſunt in pecudibus, in hominibus etiam quandoque extiterint. Caeterum hujuſmodi deliramentum tam putidum & ipſum haberi neceſſe eſt, ut ejus refutatio philoſopho indigna pene videatur. Illud ex S. Fulgentio, ne pluribus immoremur, ad rei certitudinem firmandam ſatis eſſe non ambigo, quod diſertis verbis ita profertur: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, animas hominum, & animas pecorum unius naturae non eſſe* (a).

ANIMADVERSIO XI.

§. 26. *Belluae, ſi a nobis undequaque ſpectentur, activo aliquo donari principio, eoque ad agendum cieri videntur.*

SCHO-

(a) Lib *de Fide ad Petrum* num. 67.

S C H O L I O N.

§. 27. Utrum principium hujuſmodi corporeis finibus cohibeatur aut ad veram propriamque *Spiritus* rationem (de qua nos Part. II. §. 19. luculentam explanationem conſtituimus) pertineat, illud eſt, quod potiſſimum quaeritur. Attamen, quum adhuc non ſatis ſtrata a nobis via ſit, qua ad theoreticas hac ſuper re Propoſitiones commode pertingamus, inpraeſentiarum ſufficere reor, ſi in belluis activum aliquod principium ineſſe definiamus. Id profecto cuipiam irrequietas brutorum operationes, & perpetuo percitas motu conſideranti planum eſſe debet, atque ita ſaltem eſſe videri.

A N I M A D V E R S I O XII.

§. 28. *Phoenomena, quae in externis brutorum operationibus cernuntur explanari a Philoſopho nequeunt per harmoniae praeſtabilitae ſyſtema.*

S C H O L I O N.

§. 29. Inficiari nemo jure poteſt, quaeſtionem de animantium natura multo eſſe ad definiendum & ad aliquid certi decernendum ea ſuper re difficiliorem, quam ſit de mentis humanae indole metaphyſica

in-

inquiſitio: In hac enim ad rei evidentiam eruendam atque ad certitudinem quaeſtionis firmandam non ſacrae litterae & omnium Eccleſiae Patrum a tota antiquitate petitorum conſenſus ſolum praeſto ſunt, quae non exiguam Catholico Viro vim faciunt, verum etiam apodictica argumenta a ratione depromta validas ſuppetias afferre ſolent. Quum itaque explicandis humanae mentis phoenomenis, caeteriſque mutui animae cum corpore commercii functionibus *harmoniae praeſtabilitae* ſyſtema impar eſſe omnino demonſtratum a nobis fuerit (Part. II. §. 148. §. 153.), quocirca multo minus idem ſyſtema brutorum phoenomenis explicandis accomodatum videri debet. Quamvis vero ita ſe res habeat, nec Animadverſio, ut cuique per ſe patet, ulla illuſtratione indigeat; attamen Clar. Leibnitius & cum ipſo Wolfius in *Pſychologia rationali* eodem uſus eſt ſyſtemate, ut omnia Belluarum, quae nobis inſciis ſpectanda quotidie ſe ſe offerunt phoenomena in apertam explanationem proferret. Quicunque plura hac ſuper re animadvertere cupiunt ad Eruditorum Lipſienſium Acta ſe conferant

rant

rant (a), in quibus plurimae ejuſdem Leibnitii Commentationes occurrent.

ANIMADVERSIO XIII.

§. 30. *Bruta ſi ſpecie tenus attente ſpectentur non rerum tantum congnitione pollere mirum in modum apparent; quemadmodum* (§. 7. §. 8.) *animadvertebamus; verum etiam apta quadam ſignorum, vocum, aut ſymbolorum nomenclatura ad animi ſenſus intimos invicem pandendos inſtructa eſſe, vel a natura, vel ab educatione videntur.*

SCHOLION.

§. 31. Utrum inſita vi, aut ab educatione ac cum caeterorum animantium conſuetudine bruta loqui quoquomodo didicerint; illud nihilominus certum exiſtit, aliquid ſive ejulatus ſive alterius generis ſignorum ab ipſis adhiberi, quibus non temere ad credendum permovemur, ea reipſa, quae homines inter loquendum vel nutu vel vocibus faciunt, non inepte aemulari. Ego vero pro inſtituto Animadverſionum more non veram, ut in nobis, loquu-

(a) Annis 1694 Menſe Martio pag. 110. 1695. Menſe Aprilis pag. 145. 1698. Menſe Septem. pag. 427.

quutionem promi ab illis puto, ſed illud ut mihi concedatur rogo, quidquid in ipſis vel ejulantibus, vel incondito quopiam ſonitu aerem percutientibus fieri ſentimus, hominum loquelam imitari. Qui autem veram propriamque ad animi cogitationes patefaciendas loquelam ſerio brutis conceſſere, eamque nervis omnibus tutati ſunt, prae caeteris eminent, tum ſupra a nobis laudatus Auctor libelli: *Amuſement Philoſophique ſur le langage des Beſtes*; tum Clar. Dom. De la Chambre in ſuo *de Animalium congnitione* Tractatu (a). De horum opinione nihil nobis in praeſens decernere eſt animus, ne praepoſtera methodo progrediamur.

ANIMADVERSIO XIV.

§. 32. *Plurima, quae in animantibus phoenomena cernuntur, vivida imaginatione, ut homines, pollere & ipſa ſpecie tenus indigitare videntur.*

SCHOLION.

§. 33. Ab exemplis hic congerendis temperare neceſſe eſt; quod nimirum res per ſe quotidianis eventibus pateat. Si tantum

tum

(a) Pag. 363 & ſeqq.

tum equos aut canes dormientes, quemadmodum etiam Clar. Dom. de Montagna (a) animadvertit, conſiderare lubeat, continuo Animadverſionis veritas in comperto locatur: Equus namque tubarum fragori, bellicorumque tormentorum exploſioni aſſuetus, infremit etiam quum dormit, & ſaepe terram irrequietus quatit ungula, ac ſi in certamine ipſo verſaretur. Canes praeterea, qui prope domos excubias agunt; tametſi profundo oppreſſi ſopore humique ſtrati; muſſitare tamen, latrare, aliaſque inconditas voces emittere ſaepe audiuntur: Haud raro ipſi item expergeſieri videntur nullo externo excitati rumore, ac continuo iiſdem concuti motibus, quibus impelli ſolent, dum inimicos fures aut incognitos advenas domicilio appropinquare perſentiunt. Ex quibus aliiſque pene innumeris ex animantium hiſtoria petitis exemplis (quae tamen hic exponere conſentaneum haud ducimus) ſatis, ut reor, liquet, nulla ratione in dormientibus brutis memorata potuiſſe evenire phoenomena, niſi ad hominum inſtar in illorum imaginatione illa ea-

(a) In ſuis Specimin. Lib. II. Cap. XIV.

eadem picta fuiſſet imago in cerebro, quae facta in eodem fuit quum res ipſas primo noverunt (Part. II. §. 216.).

COROLLARIUM.

§. 34. Ergo ſi bruta vivida imaginatione pollere videntur, eadem memoriae virtute donari dicendum neceſſario eſt. Supervacanea enim imaginationis eſſet virtus, niſi praeteritorum ſchemata, quae in phantaſiae penu ſervantur, memoria ipſa repeteret. (Part. II. §. 271.)

SCHOLION.

§. 35. Utrum memoriae vis in belluis locum habeat, ſupervacaneum ducimus inveſtigare, eo quia exempla ex Plinio (a), Plutarcho (b) aliiſque pluribus rerum naturalium inſpectoribus ita rem ſe habere luculentiſſime perſuadeant. Illud vero quod non adhuc compertum eſt & examinandum ſupereſt in hoc totum verſatur; utrum nimirum hujuſmodi memoriae vis eque in ipſis ac in homine vigeat. Quod profecto, etſi ex admirandis phoenomenis jure colligi a nobis poſſet, ſatis nihilominus nobis modo

do

(a) Hiſt. Nat Lib. X. Cap. 42.
(b) De Solert. Animal.

do eſſe debet, ſi apparentem cum homine ipſo analogiam memoriae ipſas habere pro certo ſtatuamus.

ANIMADVERSIO XV.

§. 36. *Si Belluae in ſolertia, vafritie, & ratiocinatione cum homine conferantur, nihil in ſpeciem ab eodem diſcriminis ipſas habere liquido patet.*

SCHOLION.

§. 37. De animantium brutorum externa ſaltem ſolertia atque vafritie nemini dubitare licet; niſi is forte ea velit etiam praefracte inficiari, quae a ſenſuum evidentia ſibi offerantur contemplanda, quaeque in meridiana veluti luce ſunt poſita. Exempla praeterea non deſunt non ex Plinio atque Plutarcho ſupra laudatis tantum, verum etiam a SS. Patribus Epiphanio (a), atque Iſidoro Hiſpalenſi (b) ſcriptis prodita; ut alia multa hic brevitatis ergo teſtimonia praeteream. Quantum vero ad ratiocinationem pertinet, puderet me certe hominem cum brutis in aequo perfectionis gradu locare. Enimvero tanta praeſtat

C reli-

(a) Phyſiolog. Cap XIX.
(b) Origin. Lib. II. Cap. II.

reliquis animantibus homo, quum ratiocinatur, ut non ex ideis ſolum ſimplicibus atque compoſitis ad latens verum quodlibet inveniendum progrediatur, ſed ex hiſce inſuper alias per longas ſeries diſponat; hinc ſyſtemata conflet, longiſſimaſque perpetua conſectariorum veluti catena argumentationes proſequatur; quae omnia brutis negata fuiſſe indubitatum manet. At vero quum ea in ratiocinando pari conſiſtere cum hominibus gradu videri dicimus, de iis ſolum verum eſſe contendimus, tum quae ſimplicia ſunt, tum quae ſenſibilia ſunt penitus & circa neceſſaria ad vitam vel tuendam vel conſervandam tota verſantur. Ex quo etiam eruitur, bruta ad eas argumentationes pertingere non poſſe, quae ex profundis meditationibus, ex perceptionibus univerſalibus & abſtractis a Metaphyſicis aliiſque rerum altiſſimarum Tractatoribus conflari ſolent: Id enim proprium eſt hominis, de quo elegantiſſime Tullius (a) *Unum hoc animal ſentit quid ſit ordo, quid ſit quod deceat; in factis dictiſve qui modus*. Dei praeterea & jurium quo-

(a) Lib. I. De offic.

quorumcumque non tam cognitione eadem bruta carere indubitatum cenſeo, verum etiam multo minus circa Dei ipſius exiſtentiam & attributa ratiocinari, ac demum illam complecti animo poſſe autumo, quam tantopere commendant Theologi leges inter & morales operationes proportionem. Recte propterea Plato (a) *Homo inquit ut intelligentia caeteris animantibus antecellit, ita de Jure & Diis ſolum aliquam cogitationem animo concipere poteſt*.

ANIMADVERSIO XVI.

§. 38. *Belluarum operationes, ſi externam ſaltem rerum corticem, ut ajunt, contemplemur, mutuae charitatis, gratitudinis, fidei, aliarumque id genus virtutum plenas eſſe nos credere perſuadent.*

SCHOLION.

§. 39. Res omnibus in propatulo eſt, ſi tantum ſenſibus fidere velimus. Memoranda ejuſdem rei exempla ſcriptis conſignantur ab Appiano (b), Plutarcho (c), Plinio

(a) *In Menexen.* Tom II. pag 233. Edition *Henrici Stephani*.

(b) De Piſcat. Lib. V. verſ. 453, tum Lib. VI. Cap. XXIX.

(c) De ſolert. Animal.

DEFINITIO I.

§. 40. *Belluarum anima earumque functiones, juxta Peripateticorum ſyſtema, principium quoddam appellatur (quod & materialis ſive ſenſitiva anima dicitur) cujus vi, & occulti conatus impulſu (quem inſtinctum vocant) univerſa earundem ſe putant explicare phaenomena.*

SCHOLION.

§. 41. Lex *inſtinctus* eſt potiſſima a Deo Conditore conſtituta, ut bruta innato pondere in invariabilem actionum ſeriem ſemper ferantur, quibus vitam corpuſque ſuum tueantur. Ita hujuſce legis imperio hirundo *ex. gr.*, vere nobis appropinquante, mare ad roſtra uſque lictora traiicit; Ita apis examina conficit, feles murem inſectantur, & canes leporem; ut alia plura abſque neceſſitate exempla non commemorem.

DEFINITIO II.

§. 42. Brutorum anima ex celebri Renato Carteſio ſingularis hac ſuper re ſyſtematis Auctore in eo tota viget, ut *rejecto quovis ſenſus ac cognitionis in ipſis activo principio, uno ſpirituum animalium*

impulſu univerſi ab illis motus atque phaenomena habeantur, atque explicentur (a).

SCHOLION.

§. 43. Quamvis hodierna tempeſtate primus vulgo audiat Carteſius hujuſce ſyſtematis Auctor, non ipſe tamen reipſa in hac inventione omnibus antecellit: Etenim ante ipſum Gomeſium Pereiram Medicum Hiſpanum, in libro, quem, ut Patris atque Matris ſuae nomen ſimul celebraret, *Antonianam Margharitam*, Clar. Purchotio enarrante (b) inſcripſerat, eandem ſententiam publici juris feciſſe erudimur. Haec tamen opinio neque Gomeſii Pereirae, neque Carteſii ita ſunt propria, ut illam ipſi excogitaverint omnium primi. Stoici namque nonniſi exteriorem quandam ſimilitudinem humanos inter & belluinos affectus agnoſcentes, anſam non levem nobis dicendi praebent, eos non ſecus de belluarum anima ſenſiſſe, ac demum Gomeſius ipſe Pereira, atque Renatus Carteſius apertius docuere. *Muta animalia*, inquit

(a) Carteſius de Methodo num. 5.
(b) Part. III. Phyſices Sect. II. Cap. I.

quit Seneca (a) Stoicorum celeberrimus, *humanis affectibus carent. Habent autem ſimiles illis quoſdam impulſus.... Nulli, niſi homini, conceſſa prudentia eſt, diligentia, cogitatio.... Tota illorum, ut extra, ita intra forma humana diſſimilis eſt.*

COROLLARIUM I.

§. 44. *Belluae igitur ex Carteſiano ſyſtemate abſque activo ullo aut intimo ſenſus & cognitionis dirigente principio ſuos omnes motus, non ſecus atque machinae hydraulicae, vel horologia ex rotis confecta perficiunt.* Quod enim ſolo ſpirituum animalium impetu in ipſis peragitur horologiorum motioni rotis impreſſae perfecte reſpondet.

COROLLARIUM II.

§. 45. *Igitur Belluarum anima ex eodem ſyſtemate diverſa haudquaquam eſt ab ea ſubtiliſſima, maximeque actuoſa ſubſtantia, quae vitalium & animalium ſpirituum nomine vulgo deſignatur.* Omni ſiquidem ſenſus cognitioniſque principio belluis denegato, nulla in illis habetur functio, ſive ad vegetantem, ſive ad animalem vitam

 per-

(a) Lib. I. *De Ira* Cap. III.

pertinens, quae ex ſolo vitalium & animalium ſpirituum motu derivari non poſſit.

DEFINITIO III.

§. 46. *Brutorum anima ex eorum ſententia, qui illam in immateriali principio collocant, in omnibus ſuis phoenomenis ex analogia eorum quae cum homine videntur eſſe communia, explicatur.*

SCHOLION.

§. 47. Qui de vera & propria animantium ſpiritalitate pertractarunt, ex eadem analogia omnia ferme ad fidem faciendam depromſiſſe leguntur; facta tamen eorum exceptione, atque eo diſcrimine poſito, quod belluas inter & homines neceſſe eſt intercedere, & de quo (§. 37.) animadvertimus. Plurimi autem recenſentur Auctores, qui noſtro aevo & recentibus lucubrationibus de eadem belluarum ſpiritalitate diſſeruerunt. Praeter commemoratos Clar. ſupra Scriptores (§. 31.), alii etiam non multis ab hinc annis extitere, qui eidem opinioni ſuffragati ſunt, iiſdemque rationibus (a) fulti, in demonſtranda illorum ſpiri-

(a) *Clar. D. de la Boulier in ſuo de Belluarum anima ſpecimine Amſtelodami anno 1728. edita. Sequenti vero*

ſpiritalitate ſtrenue laborarunt. Verum non ipſi hujuſce ſententiae ſive ſyſtematis Patroni omnium primi habendi ſunt. Lactantius enim (ut alios plures illuſtriores Eccleſiae Patres hic praeteream) diſertiſſimis verbis multo ante eidem opinioni viam ſtraviſſe ſic legitur (a). *Etſi non ſint talia in brutis, tamen ſimilia videri poſſe.* (Ipſe namque hominum inter & pecudum phoenomena comparationem aggreditur). *Proprius homini ſermo eſt; tamen & in illis quaedam ſimilitudo ſermonis: Nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus; & quum iraſcuntur, edunt ſonum jurgio ſimilem, & quum ſe ex intervallo videant, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditae, ſicuti illis fortaſſe noſtrae; ſed ipſis, quibus ſe intelligunt verba ſunt. Denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum*

vero anno Typis Pariſienſibus Tractatus prodiit de Reſurrectione Ieſu Chriſti, quem Britannico Idiomate Dom. Dittou compoſuit, addito de Animarum natura ſupplemento. In hoc itaque Opere contendit Auctor, belluas non Automata tantum haud eſſe appellanda, verum eas inſuper immateriali prorſus principio, in partes indiviſibili, atque in unoquoque animanti diſtincto gaudere.

(a) *De Ira Dei* Cap. VII.

tum mentis oſtendant. Riſus quoque eſt homini proprius, & tamen videmus in aliis animalibus quaedam ſigna laetitiae: quum ad ludum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciviam reſolvunt. Quid tam proprium homini, quam ratio & providentia futuri? Atqui ſunt animalia, quae latibulis ſuis diverſos, & plures exitus pandant, ut ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis; quod non facerent, niſi ineſſet illis intelligentia & cogitatio. Caetera ex eodem Lactantio Viro acutiſſimo, ut omnes norunt, brevitatis habita ſemper prae oculis ratione, praetermitto.

Corollarium I.

§. 48. *Quidquid igitur oculis cernimus in belluis, quaecumque in ipſis apparent phoenomena, quidquid demum in ipſarum actionibus analogiae cum hominum operationibus eſſe videtur, explicandum a philoſopho eſt, neque ulla ratione negari poteſt.* Niſi enim magnam ſibi & ſenſuum evidentiae vim & injuriam quodammodo facere velit, primum fateri debet admiranda magnopere illa eſſe, quae in animantibus deprehen-

prehenduntur; deinde ipſum conari neceſſe eſt (ſi rite Philoſophi munus obire cupiat) ut univerſa quoquomodo cunctis explanet.

COROLLARIUM II.

§. 49. Igitur cuncta quae ad bruta pertinent vel Carteſianorum ſyſtemate (§. 42.) vel Peripateticorum principiis (§. 40.), vel eorum placitis, qui belluarum animam ſpiritalem eſſe contendunt (§. 46.) vel alio quolibet (ſi quod ſit) recenti aut nondum excogitato ſyſtemate, ſunt demum explananda; ſi tamen illud non penitus indignum philoſopho Catholico ſit, neque ratione ſufficienti omnimodis careat.

SCHOLION.

§. 50. Intra hoſce ergo fines perambulare debent quicumque via & ratione de animantibus diſſerere aggrediuntur. Nos itaque quos conſtituimus, terminos tranſilire haudquaquam patiemur; atque a quorundam ſyſtematum dilucida confutatione exordiemur primum; ac deinde quid hac ſuper re nobis ſentire lubeat, aliquot ex more Propoſitionibus definire (abſque temeritatis vitio tamen) audebimus. Sit vero prius

Quiſquis in explicanda belluarum natura, relictis praeſentibus, quas habent homines ideis, ad alia argumenta ſe convertit, quae extra hominum cognitionem ſunt poſita, philoſophi a ſe munus ablegare videtur.

§. 51. *Demonſtratio:* Nihil decerni a philoſopho debet, quod a ratione ſufficienti non fulciatur (Part. II. §. 140.) Atqui quiſquis in explicanda belluarum natura, relictis praeſentibus &c. aliquid decernit, quod ratione ſufficienti non fulcitur: Ergo quiſquis &c.

Prob. min. Univerſa, quae ſummatim hoc in negotio adhiberi ſolent argumenta, e Carteſianorum, nec non Peripateticorum fontibus erui ac circumferri poſſunt: Atqui ratione ſufficienti carent: Ergo quiſquis &c.

Prob. min. Quaecumque a Carteſianis nec non Peripateticis afferri poſſunt argumenta, vel ab *inconvenienti* petuntur, vel a SS. Scripturarum teſtimoniis depromi ſolent: Atqui omnia hujuſmodi ut extra hominum ſcientiam ſunt poſita ita ratione ſufficienti carent: Ergo &c.

Prob.

Prob. min. Ideis praeſentibus, juxta id quod ſupra pluribus animadverſionibus ſtatutum fuit non cohaerent quaecunque ex utroque capite a Carteſianis nec non Peripateticis aſſeruntur: Ergo quum ex ideis praeſentibus philoſophari debeamus (§. 1.) quaecumque a Carteſianis nec non Peripateticis aſſeruntur, ſi iiſdem non conſentiant extra hominum ſcientiam ſunt poſita.

SCHOLION.

§. 52. Praecipua, quae a Carteſianis atque Peripateticis adverſus animae belluarum ſpiritalitatem colliguntur abſurda, ex Religionis negotio potiſſimum peti ſolent. Sequitur enim poſita brutorum ſpiritalitate (inquiunt ipſi) nullum amplius eſſe inter humanam atque brutalem animam eſſentiale diſcrimen, eandemque prorſus futuram eſſe poſt mortem utriuſque conditionem. Si enim utraque ſubſtantia eſt ſpiritalis, utraque erit praeterea (inſtant ipſi) ſubſtantia ex aequo cogitans; utraque intelligendarum legum capax; utraque ad bonum & ad malum libera, praemio & laude, poenis & vituperatione digna. Quid fiet itaque huic animae poſt mortem (inſur-

ſurgunt iidem moleſtius) ſi incorporea aſſeratur? Si nullum hominem inter & belluam diſcrimen eſſentiale intercedit, erit demum utraque ex aequo ſubſtantia *eſſentialiter ſimplex*, nempe carens compoſitione ex *materia & forma*. Erit quoque utriuſque anima ſubſtantia *inextenſa* atque *indiviſibilis* caeteriſque gaudens proprietatibus, quas, juxta dicta a nobis (Part. II.) ſoli ſpiritali ſubſtantiae convenire fuſius eſt demonſtratum.

Neque hiſce tantum rationibus adverſarios belluinae ſpiritalitatis fulciri jactitant: Ad Scripturarum etiam teſtimonia confugiunt, ad eaque nos provocant. Sic enim ipſi argumentantur: *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia, & beſtias terrae ſecundum ſpecies ſuas* (a). Ejus igitur naturae eſt anima belluarum, ut vis, a ſupremo Opifice telluri inſita, adeoque mere corporea, eam producere potuerit. Ac tum maxime rem confirmare poſſe ſe putant, quum diverſam plane nobis exhibent loquendi formam, qua Moſes uſus eſt in exprimenda cunctiſque indi-

(a) Geneſeos Cap. I. verſ. 24.

indicanda prima hominis & reliquorum animantium formatione. Loquens enim ille (ita iidem adverſarii) de generatione belluarum, ait juſſiſſe Deum, ut terra produceret *animam viventem in genere ſuo, jumenta, reptilia &c.;* loquens vero de formatione hominis, non ait, Deum tunc quoque juſſiſſe, ut terra vel aqua, aut aer illius animam produceret, ſed dixit Deum ipſum *inſpiraſſe in faciem ejus*, ſcilicet hominis, *ſpiraculum vitae* nempe animam; atque hinc *factum eſſe hominem in animam viventem* (a). Anima ergo belluarum (ita ejus hoſtes gloriantur) & anima hominis plane differunt inter ſe, quemadmodum omnino diverſus fuit modus, quo ſuam illae originem habuerunt: Quum vero certum penes omnes ſit, humanam mentem ſpiritalem eſſe; inde ab iiſdem infertur belluarum animam materialem eſſe. Neque vero hic totum ſubſiſtit argumenti robur, quod ab iiſdem ſcripturarum eloquiis veluti decretoria contra belluas momenta mutuari arbitrantur. Interdicens namque Deus Hebraeis eſum ſanguinis illorum animalium, qui-

(a) Ibidem Cap. II. verſ. 7.

quibus veſci iiſdem permittebat, hanc unam affert rationem, quia brutorum animantium *ſanguis* ab eorum *anima* nequaquam diſtinguitur. En legis verba a Carteſianis ac Peripateticis allata: *Homo quilibet de domo Iſrael, & de advenis, qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo; quia* anima *carnis in* ſanguine *eſt* (a). Similia repetuntur alibi etiam (b), atque in Deuteronomio confirmantur, quum praecipit Deus per Moſen populo ſuo: *Cave*, ait, *ne* ſanguinem *comedas*; ſanguis *enim eorum pro* anima *eſt* (c). Jam vero (ita concludunt), *ſi anima* bellua̅rum ab illarum *ſanguine* ipſiuſmet divini Conditoris oraculo, non differt, nemo ſane dubitare ſine piaculo poteſt, quominus illa ſit corporea.

Haec itaque celeberrima illa ſunt argumenta, ad quae, relictis praeſentibus, quas ſpecie tenus ſaltem de brutis habent homines, ideis Carteſiani nec non Peripatetici

(a) Levitici Cap. XVII. verſ. 10. 11.
(b) Ibidem verſ. 14.
(c) Cap. XI. verſ. 23.

tici ſe convertunt, ut qui pro animantium ſpiritalitate certant, ſi fieri poſſet, proſternantur. Caeterum contendo, & quidem jure, omnia hactenus ex eorum veluti ore prolata extra hominum ſcientiam eſſe poſita, ipſaque ratione ſufficienti carere, nec ex iis aliquid ſeu certo ſeu probabiliter poſſe concludi. Quid namque abſurdi inferri poteſt ex eo, quod tam belluina, quam rationalis anima ſpiritalis ex aequo praedicetur? Quae labes Religioni inferri valet, ſi utraque ſubſtantia perinde cogitans affirmetur? Forte ne eſſentiale inter utramque diſcrimen, ut ajunt, auferetur? Minime gentium. Enimvero eſſentiale hujuſmodi diſcrimen penes cognitionis vim ſpectandum eſt tantum, non vero in aliquibus, quorum unum ſubſtantia ſpiritalis ſit, alterum vero corporeum vel medium aliquod dicatur, corpus inter & ſpiritum. Vel itaque *ſpiritus*, *cognitionis*, *rationiſque* nomine naturale illud lumen intelligimus, quod etiam humanis mentibus ad res corporeas atque ſenſibiles cognoſcendas & ad eas mente per diſceptationem verſandas inſervit; vel eorumdem nominibus peculia-

rem illam uſurpamus mentis aciem ſeu coruſcationem, quam ſupremus Opifex omnibus indidit hominibus, cujus beneficio illuſtrati in hunc mundum venientes, ad Deum divinaſque res, tum etiam probitatis regulas (leges nimirum) dignoſcendas adjuvantur. Si primum intelligant, nullum ſane, ſeu abſurdum, ſeu labes adverſus Religionem conſurgit; eoquia praeſtantiſſimi etiam Eccleſiae Patres; quos inter D. Bernardus (a); hiſce finibus concluſam cognitionem, ſive rationem brutis attribuere non ſint veriti. Si vero alterum ſentiant, tunc ipſis ultro concedam, bruta animalia nec *ſpiritus*, nec *cognitionis*, neque demum *rationis* nominibus poſſe dignari, eorumque eſſe prorſus expertia. *Hominem inter & belluam*, ajebat propterea Tullius (b), *hoc maxime intereſt, quod haec tantum, quantum ſenſu movetur ad id ſolum quod adeſt, quodque praeſens eſt, ſe accomodat: Homo autem, qui, quoniam rationis eſt particeps, conſequentia cernit, principia & cauſas rerum*

(a) Cap. V. in Cantic. *nec non* Epiſt. ad Fratr. de Monte Dei.
(b) Lib. I. de Offic. Cap. IV.

Digitized by Google

rum videt &c.... eademque natura vi rationis, hominem conciliat homini, & ad orationem, & vitae ſocietatem; utque habet Lactantius (a) *nullum eſt animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Solus enim ſapientia inſtructus eſt, ut Religionem ſolus intelligat; & haec eſt hominis, atque brutorum vel praecipua, vel ſola diſtantia.* Quamobrem juxta hujuſmodi traditam diſtinctionem, nec erroris neque abſurdi adverſus Religionem ullius inſimulari poſſunt quotquot ejuſdem ſubſtantiae ſpiritalis brutorum atque hominum animas eſſe tuentur; ſi tamen ab ipſis penes cognitionis gradum eſſentiale habeatur diſcrimen. In hoc item ſenſu nec Clar. Lockium inſimulare poſſumus, quum ita philoſophatus eſt (b). *Si beſtiae ideas habent aliquas, & merae non ſunt machinae, ut aliqui volunt, negare neſciemus, eaſdem ratione etiam aliqua ad certos limites donari. Et quidem id mihi ita eſt evidens, bruta ratiocinari, ac evidens mihi eſt eadem ſentire;*

(a) *De Ira Dei* Cap. VII.

(b) Lock. Eſſ. philoſ. concer. l'entendement hum. Lib. II. Cap. XI. §. 11.

tire; quamquam vero non ratiocinentur, niſi ſuper ideas particulares, quae ipſis per corporeos ſenſus exhibentur. Haec itaque brutorum ſubſtantia, quam tantopere deſpiciunt illius hoſtes, ſi ſpiritali donari praerogativa non repugnat, *ſimplex*, *inextenſa*, *indiviſibilis* erit, caeteriſque inſtructa proprietatibus, quin in affirmando vel minimum haereamus, vel quin Religioni & ſaniori Philoſophiae ullatenus incommodemus. De hujuſmodi vero ſubſtantia quid illi poſt corporis mortem contingat, ſi quaeratur, nihil ſane inquirenti tum a Philoſopho tum a Theologo reſponderi poteſt, niſi temeritatem eſſe maximam de iis velle ſciſcitari, quae humanam cognitionem prorſus excedunt. Quum enim ex praeſentibus, quas de belluis habent homines, ideis eas ſpiritales eſſe, cognitione atque ratione donatas eſſe ſpecie tenus ſaltem conſtet, ex iiſdem potius philoſophari quiſque debet, quam ad ea confugere, quae nihil abſurdi in ſe continent, quaequae inſpecta ſuavi Dei Conditoris providentia, potentia, aliiſque ipſius attributis, nos quidem caecutientes latent; at ea ipſa pervia ſunt

in

in ſeipſis, neque ullam contradictionem patiuntur. Sive igitur animae belluarum, utpote ſpiritales, natura ſua poſt corporis mortem ſuperſtites ſupponantur, ſive Dei voluntate annihilari affirmentur (ſi res probe expendatur) nullum eſt inconveniens: Temeritatis nihilominus vitio ille non caret, qui a ratione abſonum putat ad haec extrema velle philoſophos pro animantium ſpiritalitate ſentientes compellere. Deſinant ergo Carteſiani atque Peripatetici iſta jactare, ne (quod indecorum philoſopho eſt) pro ſolidis rationibus, quemadmodum ipſi autumant, inanem ſcientiam conſectentur.

Multo minus vero ex reliquis ſcripturarum argumentis urgere adverſarios nos poſſe timeo, aut aliquid certi inferre. Etenim ſi quid in illis eſt, quod brutorum materialitati in ſpeciem favere videatur, decretorium haudquaquam eſt; quum nihil divinae litterae de horum anima expreſſe, & ex inſtituto definierint; alioquin nullus amplius nobis concederetur liberae diſputationi locus; quilibet enim eam cogeretur tueri & fateri ſententiam, quam divinum nobis proponeret eloquium, cui intellectum

noſtrum in Chriſti obſequium captivare neceſſe eſſet. Praetereo brevitatis ergo ampliſſimam praelaudatis ab adverſariis teſtimoniis accomodari poſſe reſponſionem, ex contextu ipſo erutam, ex celebrioribus Interpretibus deſumtam, atque ex Clariſs. Eccleſiae Patribus mutuatam. Omitto etiam, nos aeque, qui de Brutorum ſpiritalitate bene cogitamus, ex iiſdem ſcripturarum oraculis educere nos poſſe, ſi vellemus, dilucida noſtra & ſpecie tenus decretoria teſtimonia, quae illorum immaterialitati ſuffragarentur; quemadmodum ex Geneſi (a) ex Eccleſiaſ. (b), ex Pſalmis (c), ex Tobia (d) Jeremia (e), ex Proverb. (f) ex Matth. (g) conſarcinari ſolent; quibus omnibus cognitionis, prudentiae, ſapientiae, aliiſque id genus titulis decorari bruta leguntur. Nos vero (quos non latet, unum ſcripturae teſtimonium alteri nullo modo excogitari poſſe contrarium) quemad-

(a) Cap. VI. verſ. 17.
(b) Cap III.
(c) Pſal. 103.
(d) Cap. XI.
(e) Cap. VIII.
(f) Cap. VI.
(g) Cap. X.

madmodum ex hiſce noſtris nihil pro brutorum cauſa comparari certi, in quo humana ſcientia verſetur, ita ex oppoſitis, quae hoſtes belluarum evulgare non deſinunt, nihil perinde contra eaſdem definiri poſſe jure opinamur. Tota igitur Carteſianorum ac Peripateticorum philoſophia quum relictis praeſentibus, quas habent homines, ideis ad alia argumenta ſe conferat, quae extra humanam ſcientiam ſunt conſtituta, aut philoſophia nonniſi nomine tenus eſt, aut indigna penitus, quam homines perſpicuis rerum ideis aſſueti proſequantur.

LEMMA II.

Quiſquis de Brutorum anima differere aggreditur ejuſque naturam atque vires inveſtigare; tum operationes & phoenomena cuncta inveſtigare philoſophica methodo molitur; niſi a ſanioris philoſophiae ſectatoribus contemni velit; ea debet ſpectare inter diſſerendum axiomata, & Canones quae rebus liquido demonſtrandis viam ſternere unice valent.

§. 53. *Demonſtratio:* Praecipuum inter axiomata atque ſanioris Philoſophiae Canones, quod belluinae naturae liquido de-

 mon-

monſtrandae viam ſternere unice valet illud eſt, quod (§. 5.) ſancivimus; videlicet ex iiſdem cauſis eoſdem ſemper proficiſci debere plerumque effectus, atque ex ſimilibus ſimiles, quemadmodum ex iiſdem effectibus eaſdem cauſſas argui plerumque poſſe, nec non ex ſimilibus ſimiles cauſſas eſſe ab omnibus eruendas: Atqui Carteſiani, ſeu quicumque ex Philoſophis belluarum animam ſpiritalem eſſe denegantibus conſtitutum Axioma ſive Canon penitus negligere videntur. Ergo &c.

Prob. min. Quidquid in brutis apparet, aut abſque cognitione fieri non poſſe videtur (§. 7.), aut eaedem ac in homine paſſiones comitantur (§. 9.), aut ipſum diſtinctionis inter objecta varia capax eſſe conſpicitur (§. 11.), aut mali opinione corripi deprehenditur (§. 13.), aut ex eadem corporis ſenſoriorumque ſtructura proficiſci videtur (§. 15.), aut ſpontaneis donari motibus apparens quaedam ratio ſuadet (§. 16.), aut eaſdem voluptates atque dolores; quemadmodum in homine fit; comites habet (§. 18. §. 19.), aut activo aliquo inſtructum eſſe principio, eoque ad

agen-

agendum cieri videtur (§. 26.), aut etiam apta quadam ſignorum, vocum, aut ſymbolorum nomenclatura ad animi ſenſus invicem pandendos donatum eſſe, vel a natura, vel ab educatione videtur (§. 30.), aut vivida imaginatione, ut homines pollere ſpecie tenus indigitare videtur (§. 32.), aut mutuae charitatis, gratitudinis, fidei aliarumque id genus virtutum plenum eſſe nos credere perſuadet (§. 38.), Atqui Carteſiani, ſeu quicumque ex Philoſophis belluarum animam ſpiritalem eſſe denegantibus id omne explicant, quod in ipſis belluis apparet, per cauſſas prorſus diſſimiles, neque ex iiſdem aut ſimilibus effectibus eaſdem aut ſimiles arguunt cauſſas: Ergo &c.

Prob. min. Collatis inter ſe belluarum hominumque operationibus atque phoenomenis eaſdem habere cauſas aut ſimiles videntur, eo quia ex hujuſmodi effectibus nonniſi utriſque aeque communis cauſſa colligi valeat: Atqui Carteſiani &c. in explicandis brutorum phoenomenis non ipſa ex eadem cauſſa hominibus aeque communi profecta eſſe volunt, neque ex brutorum

ana-

analogia, aut eandem aut ſimilem cum homine arguunt cauſſam: Ergo &c.

Prob. min. Quidquid in hominibus apparet ex ſpiritali principio ortum habere univerſi fatentur Philoſophi: Atqui quidquid in belluis elucet, a Carteſianis uno ſpirituum animalium motu peragi & explicari poſſe contenditur (§. 42.), & a Peripateticis ex *inſtinctus* lege omnia eadem explanantur, nulla ſpiritalis principii habita ratione (§. 40.): Ergo &c.

LEMMA III.

Ubi doloris & voluptatis viget ſenſus, ibi percipiendi principium aliquod ſupponendum eſt.

§. 54. *Demonſtratio:* Ex ideis praeſentibus circa belluarum naturam philoſophari debemus (§. 1.) Atqui ex iiſdem colligimus, belluas doloribus & voluptatibus capi, iiſque aut angi aut delectari (§. 18.) Ergo in ipſis ſi doloris & voluptatis vigeat ſenſus, ibi &c.

SCHOLION.

§. 55. Tam indubitata penes omnes res eſt, dolorem voluptatemque, quae carnis propria eſſe vulgo dicuntur, ad animam

tota

tota pertinere ad eamque per perceptiones attingere, ut ſupervacaneum exiſtimem pluribus hic in demonſtrando immorari. *Dolor*, inquit S. Auguſtinus (a), *qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet; animae enim eſt dolere, quum in eo loco dolet, ubi leditur corpus. Sicut ergo dicimus corpora ſentientia, & corpora viventia, quum ab anima ſit ſenſus & vita, ita & corpora dicimus dolentia, quum dolor corporis, niſi ab anima eſſe non poſſit. Dolet itaque anima cum corpore in ejus loco, ubi aliquid contingit, ut doleat. Dolet, & ſola dolet, quamvis ſit in corpore.* Luculentius tamen ante ipſe docuerat (b): *Dolores, qui dicuntur carnis, animae ſunt, & ex carne. Quid enim caro per ſeipſam ſine anima vel dolet vel concupiſcit? Sed quum concupiſcere caro dicitur vel dolere, aut ipſe homo eſt, aut aliquid animae, quod carnis afficit paſſio, vel aſpera ut faciat dolorem, vel lenis ut voluptatem. Intendit* (ita alibi loquitur idem S. Doctor (c)) *ſe anima in ta-*

(a) Lib. XXI. De Civit. Dei Cap. III.
(b) Ibidem Lib. XIV. Cap. XV.
(c) Lib. de Quant. Animae Cap. XXXIII.

tactum, & eo calida, frigida, aſpera, lenia, dura, mollia ſentit, atque diſcernit. Deinde innumeras differentias ſaporum, odorum, formarum, guſtando, olfaciendo, audiendo, videndoque dijudicat.... Sed haec (opportunam ſane Auguſtini ſententiam!) *omnia poſſe animam etiam in beſtiis, nemo negat.* Nihil profecto aut melius aut magis perſpicue ex recitatis Auguſtini teſtimoniis expeti aliunde poteſt, quod non idipſum confirmet atque explanet; nihil nimirum haberi poſſe vera ſenſatione perculſum, quod non intime perceptione ſit affectum. Quod quum experientia teſte in belluis contingere quotidie cernamus, jure arguere in ipſis poſſumus aliquod percipiendi principium.

COROLLARIUM I.

§. 56. *Ergo principium aliquod activum belluis ineſſe arbitrandum eſt.* Enimvero ſi eo deſtitutae ſupponerentur, nulla item activa percipiendi quaſcumque ſenſationes vi donatae appellari merito poſſent.

COROLLARIUM II.

§. 57. *Ergo Belluae vere & proprie ſentiunt.* Ea quippe tantum viventia vere proprieque ſentiunt, quae percipiunt. (§. 54.)

SCHOLION.

§. 58. Pro vera propriaque ſenſatione illud duntaxat hic uſurpamus, quod immediata corporeae paſſionis perceptione in mente perficitur; non pro motione ſeu reſultu facto in ſpiritibus animalibus, dum externa ſenſoria a rebus ſenſibilibus immutantur. Sumta namque ſenſatione pro hoc animalium ſpirituum motu, nemo Carteſianorum negat, neque negare jure poteſt, quominus etiam belluae ſenſatione aliqua percellantur. Eodem ſiquidem modo, quo in homine, etiam in belluis commoventur ſpiritus animales, eodemque motu; blando ſcilicet aut vehementi, tumultuario vel placido, illi agitantur, dum, ut hominis, ita belluarum externa ſenſoria aut laeduntur ab objecto dolorifico, aut a delectabili leniter afficiuntur. Hinc Carteſius, reſpondens Clar. Henrico Moro, aegre ferenti, quod *brutis omnibus vitam* ille, *ſenſumque* eriperet, neque vita, neque ſenſu, ait, belluas ab ſe privari, dum illis adimit cognitionem. *Vitam*, inquit, *nulli animali denego, utpote quam in ſolo cordis calore conſiſtere ſtatuo; nec denego etiam ſenſum,* *qua-*

quatenus ab organo corporeo dependet; ſicque haec mea opinio non tam crudelis eſt erga belluas, quam pia erga homines, Pythagoreorum ſuperſtitioni non addictos, quos nempe a criminis ſuſpicione abſolvit, quoties animalia comedunt, vel occidunt (a).

L E M M A IV.

Ad demonſtrandam animantium naturam Carteſianorum nec non Peripateticorum ſyſtemata ratione ſufficienti carent omnimoda.

§. 59. *Demonſtratio I.* Quiſquis in demonſtranda animantium natura, relictis praeſentibus, quas habent homines ideis, ad alia argumenta ſe convertit, quae extra hominum ſcientiam ſunt poſita, in ſuo ſyſtemate ratione ſufficienti caret (§. 51.) atqui ejuſmodi ſunt Carteſianorum, nec non Peripateticorum ſyſtemata (§. 40. §. 42.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Quicumque ex iiſdem aut ſimilibus effectibus parem aut ſimilem cauſam non arguunt; ſive ex eadem vel ſimili cauſa eundem aut ſimilem effectum in rebus a ſe demonſtrandis non inferunt, philoſophi munere non fungi, ac ſufficientem

(a) Part. I. Epiſtolar. Carteſii Epiſt. 66.

tem rationem non habere cenſentur (§. 53.) Atqui Carteſiani ac Peripatetici in ſuis ſyſtematibus ab hoc Axiomate adeo diſtant, ut contrarium potius ex eodem derivent (§. 41. §. 44.) Ergo &c.

Demonſtratio III. Quicumque *nihili* rationem ſufficientem tradit, is nullam praebere dicitur. (Part. I. §. 153.) Atqui Carteſiani nec non Peripatetici *nihili* in demonſtranda belluarum indole rationem ſufficientem tradere conantur: Ergo nullam reipſa praebent.

Prob. min. Quiſquis ſyſtema aliquod explanare ſtudet, ejuſque rationem ſufficientem commendare laborat, aeque ipſe per aliquod debet ſyſtema explicare, quod *aliquid* ſit: ſed hoc *aliquid* in ſuis ſyſtematibus enucleandis quod ab iiſdem ſyſtematibus diverſum ſit, Carteſiani atque Peripatetici non tradunt: Ergo &c.

Prob. min. Quod *aliquid* non eſt, *nihil* eſt prorſus (Part. I. §. 12.) Sed quod memorati Auctores de Belluarum natura tradunt, diverſum *aliquid* non eſt ab ſuorum ſyſtematum expoſitione : Ergo *nihil* eſt prorſus. Ergo quum *nihili* rationem ſuffi-

ſufficientem conſignare curent, ipſi profecto nullam rationem ſufficientem tradunt.

SCHOLION.

§. 60. Quaelibet demonſtratio, quae *a priori*, aut *a poſteriori*, ut vulgo in ſcholis dicitur, neceſſe eſt, ut a Philoſopho quopiam ſyſtematum Auctore ita exhibeatur, ut quod rei demonſtrandae deſervire autumat diverſum plane ab eo ſit, quod ad probandum in medium ab ipſo atque in lucem prolatum fuit. Quum vero, ut per ſe liquet, Carteſiani ac Peripatetici ipſa ſuorum ſyſtematum expoſitione contenti in aperienda belluarum natura, nihil aut rationis, aut divinae Revelationis adhuc attulerint, quod rebus ſuis deſerviret (§. 52.), relinquitur dubio procul, aut ipſos, contra receptiſſimum omnium Dialecticorum effatum, *idem per idem* voluiſſe demonſtrare, aut *nihili* rationem ſufficientem praebuiſſe. Si forte ipſi experimenta ex quotidianis animantium factis animadverſionibus mutuata adhibere niterentur, ut conſtitutis a ſe inventionibus vim adaugerent, poſtulo ab iiſdem, ut ſyſtematum veritatem ſolida ratione nos primum edoceant,

ceant, quae vere ſufficiens ſit; deinde ut ad experimenta ſe convertant, eaque in rem ſuam apte derivent. Quum autem primum adhuc non praeſtiterint, neque alterum profecto jure ipſis eſt concedendum.

PROPOSITIO I.

Anima belluarum materialis non eſt.

§. 61. *Demonſtratio:* Anima belluarum percipiendi vi gaudet (§. 54.) Atqui cum ejuſmodi vi cohaerere nequit, ipſam fore materialem: Ergo &c.

Prob. min. Concipi nequit anima belluarum materialis, quin ejus perceptiva virtus materialis ex aequo concipiatur: Atqui virtus hujuſmodi materialis nullo pacto eſſe poteſt: Ergo &c.

Prob. min. Percipiendi vis corporea aut materialis intelligi nequit, quin ipſa pluribus integralibus conſtare partibus itidem intelligatur; ſive quin in illa totidem ſint diſtinctae motiones quot ad perceptionem efformandam poſtulantur: Atqui nulla haberi poteſt perceptio integralibus partibus conſtans: Ergo &c.

Prob. min. Vel enim quaelibet illarum integralium particularum, in quas ponitur

E vis

vis perceptiva reipſa poſſe ſecari, ſeorſim ab aliis ſumta, vi percipiendi praedita eſt; vel hac vi penitus eſt deſtituta: Atqui neutrum dici poteſt: Ergo &c.

Prob. min. Primum dici nequit. Nam ſi quaelibet illarum particularum, ſeorſim ab aliis ſumta, poſſet percipere, quaelibet ex aequo eſſet tota perceptio. Porro niſi percipiens illa particula conſtituatur integralibus carere partibus, inſtauratur iterum argumentum, ut patet, atque ita in infinitum. Ergo &c. Alterum quoque dici nequit. Si namque nulla illarum partium, diviſione poſita, vi percipiendi pollet, tota quoque ſubſtantia ex illis conflata, eadem ipſa vi penitus careat, neceſſe eſt; quum ex inertibus, experientia teſte, fieri nequeat totum integrale vi activa donatum. Ergo &c.

Corollarium I.

§. 62. *Ergo animae brutorum perceptio, ſubſtantia ſimplex eſt.* Quod enim in partes integrales reſolvi nequit, ex iis haudquaquam componitur: Ergo ſimplex dicendum eſt.

Co-

COROLLARIUM II.

§. 63. *Ergo & ipſa belluarum anima ſimplex eſt prorſus.* Neque enim vis percipiendi ſimplex intelligi valet cum ſubſtantia compoſita neceſſario copulata.

COROLLARIUM III.

§. 64. Ergo univerſa illa conſequuntur, atque brutorum animae probe ac legitime accomodantur, quae de mente humana (Part. II. §. 33. §. 34. §. 35. §. 36.) illata a nobis fuerant.

COROLLARIUM IV.

§. 65. *Ergo animae belluarum perceptio omnino ſpiritalis eſt.* Certa namque res eſt illud eſſe ſpiritale, quod corporeum non eſt (Part. II. §. 18.)

COROLLARIUM V.

§. 66. *Ergo animae brutorum intelligunt ideas.* Quum enim ipſae doloris voluptatiſque ſenſum percipiant (§. 55.) id certe fieri non poteſt, niſi per ideas.

COROLLARIUM VI.

§. 67. *Ergo animae brutorum bonum per ideas perceptum vel appetunt, vel malum per eaſdem cognitum averſantur.* Quod enim ad ideas contemplandas fertur, bonum

a ſe cognitum appetit (Part. II. §. 7.), vel ex adverſo quod ſibi infeſtum eſſe novit, continuo reſpuit.

COROLLARIUM VII.

§. 68. *Ergo animae brutorum judicant; ſive duas pluresſve ideas inter ſe conferunt.* Neque enim bonum vel malum ab ipſis cognitum aut quaererent, aut declinarent, niſi prius utraque expenderent, atque cum aliis jam perceptis ideis conferrent.

COROLLARIUM VIII.

§. 69. *Ergo animae brutorum ratiocinantur.* Quum enim ratiocinatio ex pluribus judiciis apta inter ſe ratione copulatis fiat; ut apud omnes eſt in comperto; ſi animae brutorum ideas intelligunt (§. 66.) de iis judicant (§. 68.) de iiſdem aeque ratiocinari debent.

COROLLARIUM IX.

§. 70. *Ergo judicia nec non ratiocinationes brutorum ſpiritalia eſſe debent.* Quum enim animae belluarum perceptio ſpiritalis ſit (§. 65.) reliqua etiam, quae ad perceptionem conſequuntur ſpiritalia eſſe neceſſe eſt.

Co-

Corollarium X.

§. 71. *Ergo ſpontaneis voluntatis motibus belluae donantur*. Enimvero quum bonum, quod ipſae expetunt per ideas jam perceptum illud generatim dicitur, quod naturae conſentaneum eſt, ipſamque perficit; malum vero quod nocumentum aliquod parat (Part. II. §. 229. §. 255.), nequeunt profecto utraque ipſis oblata aut concupiſcere, aut reſpuere, niſi ſpontaneis motibus id praeſtare poſſe ſtatuantur.

Scholion.

§. 72. Tametſi ex demonſtratis ſatis ſuperque pateat, bruta ſpontaneis actionibus ſe movere, atque hoc ipſum (ex §. 56.) ita ſaltem cunctis videri fuerit a nobis antea animadverſum; attamen conſentaneum ducimus, ut iterum id paucis oſtendamus, ut refractarii (ſi qui adhuc ſunt), Carteſiani praeſertim, omnino proſternantur. Enimvero qui motus determinari ad unum ſunt, quique ab inanimatis rebus abſque ulla (ut cum ſcholis loquar) ſpontaneitate fiunt, certis tantum naturae atque immutabilibus legibus peraguntur. Corpus *ex. gr.* in motu poſitum eadem velocitate eadem-

que directione moveri perſeverat, niſi ab externa aliqua cauſa aut cohibeatur, aut alias in partes flectatur. Ita ſe habere corporum quorumlibet motum, omnium philoſophorum conſenſione probata ſententia eſt; de qua etiam conſuli poſſunt, quae recentes, Newtonus Graveſandus, Muſchembroekius, aliique ſcriptis prodiderint. Quum itaque belluae ſpontaneis motibus ſe ſe dirigere videantur, nulla certe externa cauſa inveniri poteſt, quae illas ad motus illos determinatas aut cohibeat, aut in alias partes a determinatione ipſa deflectat. Enimvero exploratiſſima res eſt, bruta quotidie e ſomno ſurgere *ex. gr.* poſtquam mortuis ſimillima humi ſtrata jacuerint. Niſi ergo vis aliqua inſita admittatur in iis, qua ſurgant, fateri quiſque debet ingentem *ex. gr.* Elephantis machinam a quiete ad motum ſuapte natura excitari. Dicere autem id provenire ex motione ab objectis externis in bruti machinam factis ineptum eſt prorſus; experimento namque didicimus, eaſdem fieri plerumque motiones, immobilibus interim brutis. Oſtendatur *ex. gr.* jacenti cani corpus pani ſimile;

ſur-

ſurget, accedet; ac continuo oculis, naribus, aut etiam guſtu fraudem impoſturamque deteget: Itaque recumbet iterum. Eidem denuo recumbenti fictus panis exhibeatur, fortaſſis iterum ſurget. At demum fraude probe detecta, ſi centies etiam eundem panem oſtendas, ne aures quidem quatiet; oculos inſuper avertet, atque dormitabit. Quid? iiſdem poſitis externis motionibus, eademque canis machinula, cur non iidem in cane motus? Pleraeque praeterea belluarum in ipſo motus impetu velociſſimae repente conſiſtere cernuntur, ſi aut viderint aliquid, aut audiverint, aut olfecerint. Plures aves, ut Grues, Anſeres, Palumbes, aliaeque, quae turmatim volitant, aut ſibilo audito ſive hominis voce; aut venatore eminus ſeu cominus conſpecto, continuo velociſſimum volatum alio divertunt, aut etiam in adverſam dirigunt partem. Canes, equi, Damae, Lepores, aliaque animantia motu perniciſſimo praedita, vel aquae objectu, vel rupis vel hominis alicujus, aut alterius animalis ſibi infeſti conſpectu, vel ſtatim conſiſtunt, vel motus ipſius directionem repente commu-

mutant. Exempla id genus pene abſque numero congerere praetereo, quod res nimirum evidentiſſima ſit. Si ergo ſpontaneos motus belluis earum adverſarii denegare vellent, juxta commemorata exempla, fateri etiam cogerentur, tantam extitiſſe extra bruta illa vim, quae eorum velociſſimos, concitatoſque vinceret motus. Non enim motus extinguitur, aut motus ipſius directio immutatur, niſi validiſſimi alicujus objecti conatu, qui ſibilum, vocem, aut rupis, fluminis, alteriuſque id genus effluvia plane excedat adeo, ut brutorum phoenomena commemorata, aliaque etiam mirabiliora producere per ſe ſe valeat.

Hiſce adeo per ſe evidentibus non me latet ita reſpondere Carteſianos; eos nimirum motus in animantium machinis ſemper Deum efficere, prout objectorum magna varietas tulerit. At nihil certe fingi poteſt ineptius. Enimvero unde id Carteſianis conſtitit? Ratione ne idipſum aſſequuti ſunt, an Revelatione? ſi illius praeſidio attigerunt, perſpicua ejus rei quaeſo proferant argumenta. Sin vero hujus lumine atque eruditione ſunt edocti, non

eos

eos dubitabo vera ſcientia deſtitutos appellare; quum tantae vis non ſit hoc in negotio Revelatio ut philoſophum differentem pro belluina ſpiritalitate debeat permovere; quemadmodum fuſius (§. 52.) dictum a nobis fuit.

COROLLARIUM I.

§. 73. *Ergo belluae activo aliquo atque intimo motu in operationes vere ac proprie ferre ſe debent.* Quod enim iners eſt, & nulla vi activa praeditum nonniſi ab externo determinante moveri poteſt.

COROLLARIUM II.

§. 74. *Ergo belluae iiſdem ac homines paſſionibus; ira ſcilicet, odio, zelotypia &c. vere & proprie ſunt obnoxiae.* Quum namque homines, ſpontaneo atque intimo motu in ſuis paſſionibus aut bonum ſibi objectum amore proſequantur, aut a malo cognito vehementiſſime refugiant, belluae proinde eadem intima commotione exagitari neceſſe eſt.

COROLLARIUM III.

§. 75. *Ergo belluae veris paſſionibus obnoxiae objecta varia diſtinguere noſcunt; utilia nimirum a noxiis, & amica ab infe-*

ſtis.

ſtis. Quidquid enim aut tanquam bonum expetitur, aut tanquam malum objectum reſpuitur ſpontaneo voluntatis motu, illud ipſum cum ratione ſufficienti & adhibita bonum inter & malum diſcretione fieri debet.

Corollarium IV.

§. 76. *Ergo belluae veris voluptatum dolorumque paſſionibus ſubduntur.* Quum enim voluptas aut dolor animae ſit (§. 55.) ſentiri illae certe non poſſunt abſque perceptione earum intima (§. 58.) quibus aut voluptatem anima proſequatur, aut a dolore refugiat.

Corollarium V.

§. 77. *Ergo belluae vere & proprie mali inſtantis opinione in iram metumque adiguntur.* Enimvero belluae objecta varia, utilia nimirum a noxiis, amica ab infeſtis internoſcunt (§. 75.) Ergo irae metuſque paſſionibus concuti debent, quum malum aliquod inſtans ſibi imminere perſentiunt.

Propositio II.

Belluae veris voluntatis appetitionibus, nec non averſationibus bonum amore, & malum fuga proſequuntur.

§. 78. *Demonſtratio I.* Nulla in anima conſurgit volitio, nullaque nolitio in eadem excitatur abſque ratione ſufficienti; (Part. II. §. 250.) nihil praeterea expetere, aut contra averſari voluntas poteſt, quin boni, vel mali judicium practicum in mente praeceſſerit, in cujus ductu, & impulſu ratio ſufficiens, ſeu motivum non contineatur, cur unum ipſa voluerit, ab alio vero declinaverit (Ibid. §. 252.): Atqui dum belluae bonum amore, & malum fuga proſequuntur, tum a ratione ſufficienti, tum a judicio practico determinantur: Ergo &c.

Prob. min. Ratio ſufficiens, nec non judicium practicum voluntatis in ipſa boni, vel mali cognitione conſiſtunt (Ibid. §. 251. §. 253.): Atqui belluae boni, & mali cognitione donantur (§. 75.): Ergo &c.

Demonſtratio II. Belluae activo aliquo, atque intimo motu in operationes feruntur (§. 73.): Atqui operationes hujuſmodi nonniſi, aut ab amore boni cogniti, aut ab inſtantis, ſeu praeſentis mali fugâ proficiſcuntur: Ergo &c.

Prob.

Prob. min. Belluae iiſdem, ac homines paſſionibus; ira ſcilicet, odio, zelotypia &c. vere, & proprie ſunt obnoxiae (§. 74.), ipſae item objecta varia diſtinguere noſcunt; utilia nimirum a noxiis, & utilia ab infeſtis (§. 75.), veris inſuper voluptatum dolorumque paſſionibus ſubduntur (§. 76.) Ipſae demum belluae vere & proprie mali inſtantis opinione in iram metumque adiguntur (§. 77.): Atqui omnia haec in ipſis contingere nequeunt, niſi a perceptione & cognitione ortum habeant, ut per ſe liquet: Ergo &c.

COROLLARIUM UNIVERSALE I.

§. 79. *Ergo bruta vere & proprie cognoſcunt.* Enimvero ipſae nequaquam veris voluntatis appetitionibus, nec non averſationibus, aut bonum cognitum diligerent, aut malum odio haberent, niſi intellectivum principium aliquod ipſis ineſſe ſupponeremus, ex quo vera & propria rerum perceptio inferretur.

COROLLARIUM UNIVERSALE II.

§. 80. *Ergo bruta non tam vere & proprie cognoſcunt, quam vere & proprie diligunt aut odio habent; ut tamen eorum*

cogni-

cognitiones nec non voluntatis operationes ab expoſitione ſuperius facta (§. 52.) *ſunt expendendae*. Etenim tanta non eſt prae reliquis animantibus rationalibus nec tantum praecellere ipſis debet brutorum dignitas, ut quae cognitione & voluntate aſſequi homines valent ad eadem animantia, quae vulgo irrationalia exiſtimantur, pertingant.

PROPOSITIO III.

Anima belluarum ſubſtantia ſpiritalis eſt.

§. 81. *Demonſtratio I*. Anima belluarum ſpiritalis generis aeſtimari recte a philoſopho debet, ſi ejus perceptiones in eadem anima receptae ſpiritales eſſe fuerint demonſtratae: Atqui eaedem perceptiones ſpiritalis generis eſſe viſae ſunt (§. 65.): Ergo &c.

Demonſtratio II. De animae belluarum ſubſtantia ſermocinari debent philoſophi ex iis ideis quas in praeſentiarum quiſque ſibi undequaque ex ſenſibilibus objectas comparare valet (§. 51.) Atqui praeſentes, quas habent homines de belluarum natura ideae ſuadent omnino ſpiritalis generis illam fore aſſerendam: Ergo &c.

Prob.

Prob. min. Ad inveſtigandam brutorum naturam ea debet unuſquiſque via & methodo incedere, quam ſaniores philoſophi ſunt amplexati (§. 53.): Atqui ex eadem recta methodo conſequitur, belluarum naturam ſpiritalis eſſe generis, eo quia earum operationes ex ideis praeſentibus nec non earundem univerſa phoenomena ſpiritalia eſſe prorſus evincunt (§. *9*. §. 11. §. 13. §. *16*. §. 18. §. *36*. §. 38.) Ergo &c.

Demonſtratio III. Illud a ſpiritali activo aliquo prodire dicendum eſt, quod in partes integrales eſt omnino indiviſibile; ut per ſe ſtatim manifeſtum efficitur: Atqui brutorum perceptiones ab eorum anima prodeuntes in eaque receptae ſpiritalis omnino generis ſunt (§. *65*.) Ergo &c.

COROLLARIUM I.

§. 82. *Ergo Peripateticorum ſyſtema ex inſtinctus lege univerſa brutorum phoenomena ad explicandam illorum naturam expendens; nec non Carteſianorum alterum eadem ſuper re ſyſtema, ex aequo indigna omnino ſunt philoſopho, nec minus eidem inepta, quibus de ipſorum anima diſſerere valeat.* Enimvero expoſita & ſatis evulgata utraque

que ſyſtemata (§. 40. §. 42.) tantum inſtitutis demonſtrationibus & dilucidae veritati adverſantur, quantum a quadrato circulum aberrare, eique opponi pernoſcitur.

Corollarium II.

§. 83. *Ergo eorum ſyſtema, qui ſobria meditatione atque judicio belluarum animam ſpiritalis eſſe generis firmiſſimis demonſtrationibus tuentur, non ullam ſolum dilucidae veritati vim atque injuriam non facit, verum etiam illi omnino reſpondere videtur.*

Demonſtratio IV. Soritica methodo: Phoenomena, quae in externis brutorum operationibus cernuntur, explanari a philoſopho nequeunt per harmoniae praeſtabilitae ſyſtema (§. 28.) Ergo ex ideis praeſentibus quas habent homines univerſa explicari debent (§. 51.): Quae ex ideis praeſentibus oſtendi debent, ea ipſa quoque vulgatiſſimis philoſophorum legibus & axiomatibus debent eſſe conformia (§. 53.) Quae hac in re receptiſſimis philoſophorum ſunt legibus conformia eadem brutis ineſſe, quae in homine fiunt, liquido teſtantur (§. 7. §. 9. §. 11. §. 13. §. 15. §. 16. §. 18. §. 19. §. 26. §. 30. §. 32. §. 38.

Inter

Inter ea quae brutis ineſſe cum hominum operationibus communia videntur doloris & voluptatis ſenſus eſt (§. 18.) Ubi doloris & voluptatis viget ſenſus, ibi percipiendi principium aliquod eſt ſupponendum (§. 54.) Ubi principium aliquod percipiendi ſupponitur, ibi ad animam perceptiones pervenire dubio procul credendum eſt, & activum illud eſſe putandum (§. 56.) a quo belluae vere proprieque ſentire dicantur (§. 57. §. 58.): Quae belluae vere proprieque ſentire dicuntur, in ſuis perceptionibus materiales eſſe nequeunt (§. 61.): Quae materiales eſſe nequeunt ſimplices eſſe debent (§. 63.): Quae in ſuis perceptionibus ſimplices habentur, ipſae perceptiones ſpiritales plane eſſe debent (§. 65.) Quae ſpiritales habent perceptiones, ideas quoque intelligunt (§. 66.) de iis judicant (§. 68.) ratiocinantur (§. 69.) bonumque per ideas perceptum vel appetunt, vel malum per eaſdem cognitum averſantur (§. 78.) Quae ita operantur, non tam vere proprieque cognoſcunt (§. 79.) quam veris voluntatis appetitionibus nec non averſationibus bonum amore, &

malum

malum fuga proſequuntur (§. 78. §. 80.) activo inſuper & vere ſpontaneo motu in operationes feruntur (§. 71. §. 73.), iiſdem ac homines paſſionibus ſunt obnoxiae (§. 74. §. 75. §. 76. §. 77.): Quae operationes immateriales ſunt, ab immateriali principio conſequuntur (§. 63.): Quod immateriale eſt, ſpiritale eſſe debet (Part. II. §. 18. §. 20.) Ergo anima belluarum ſubſtantia ſpiritalis eſt.

SCHOLION.

§. 84. Non abs re fore inpraeſentiarum exiſtimo, ſi, ſemel belluarum anima ſpiritali ſubſtantia juxta praehabitam demonſtrationem conſtituta, eidem deinde reliquae ſpiritalis ſubſtantiae proprietates aſſerantur. Enimvero quum rationalis anima, & quidquid ad ſpiritum pertinet non percipiat ſolum rerum ideas, eaſque odio aut amore proſequatur, verum etiam illas imaginetur, memoria teneat; de illis item judicet, argumentetur, ac quidquid aliud eſt ſpirituum proprium, peragat (Part. II. §. 1. §. 7. §. 175. §. 270. §. 51.) jure proinde affirmandum eſt, eaſdem vires, ſive, ut vulgo audiunt, qualitates brutis

ineſſe; imaginationem nimirum, memoriam, judicium, ratiocinium; prudentiam praeterea, providentiam, conſilium, ſolertiam, aliaſque mentis ſive intellectus virtutes; quemadmodum ſuperius animadvertimus atque inſuper eadem bruta amoris, odii, zelotypiae &c. paſſionibus, ut homines, permoveri (§. 74.) Quia vero quaecumque nonnullis animadverſionibus expoſita a nobis ſunt, non ea qua par erat ſermonis & hiſtoriae ubertate protulimus, non erit profecto incongruum aut minus tractationi noſtrae conſentaneum ampliora hac ſuper re modo edicere. Nos itaque exempla aliqua ſingulis accomodata ex Plinio, Plutarcho, aliiſque Clar. Viris excerpta exſcribere non pigebit; quae tametſi a criticis Carteſianis aut in deteriorem partem verti, aut inter fabulas amandari ſoleant; eorum nihilominus pleraque ſaltem a tantis Auctoribus accepta cum plauſu excipienda ſunt, niſi temere & contra temperatioris Critices leges fidem non ab hominibus ſolum, verum etiam a ſummis detrahere velimus. De Romano quodam Ton-

Tonſore Plutarchus (a) refert, ipſum in officina ſua Picam habere ſolitum, quae ut voce quidquid auſcultare contigerat, aemulabatur, ita tubarum quarundam ſonitum & fragorem, quae fortuito ſecus officinam perſonabant, fertur quandoque imitata. Qui pridie quam tubae acceſſiſſent Picam garrulam de more auſcultaverant, poſtridie non abſque ingenti ſtupore obmuteſcentem & repente in inſolitum quendam maerorem converſam deprehenderunt: Hujuſce eventus novitate factum eſt, ut quiſque illam prae inaudito tubarum ſtrepitu pene obſtupefactam putaret; verum contra rem ſe habuiſſe exitus comprobavit. Paucis namque in ſilentio diebus exactis, cum majori audientium admiratione animal non vocem ſolum, verum inſuper tubarum eundem ſonitum repetere, nec non earum inflexiones, modificationes, reditus, deſinentias, pauſas, atque tonorum immutationes omnimode exaudita eſt imitari. Ex hujuſmodi & tam ſingulari eventu infert memoratus Plutarchus (b) ſcite admodum & vere

 philo-

(a) De ſolertia Animal.
(b) Ibidem.

philoſophica animadverſione; Picam nempe iis ſilentii diebus tantum imaginationem, memoriamque exercuiſſe ſuam, quoaduſque totam harmoniam aptis modulationibus perfecte conformare ſe poſſe ſenſiſſet. Hujuſmodi animadverſio ſimili exemplo ab eodem Clar. Scriptore legitur confirmata; qui Elephantis cujuſdam geſta ſingularemque ſolertiam commendat. Illud vero, quod univerſas brutorum ſpiritalium qualitates complectitur, ac mirum in modum extollit, ex hiſtoria nobis a praeſtantiſſimo Antonio Genuenſi (a) tradita eruitur. *Quum eſſem quatriennis* (En perſpicua laudati ſcriptoris verba), *atque S. Magni parvo in oppido apud aviam lectiſſimam faeminam Annam de Medicis degerem, verno tempore, ridente mane, ludibundus ab aviae oculis patriam verſus, mille circiter paſſibus, ſed arduis & alpeſtribus locis, diſtantem me deporto: adeſt & canis, quo cum plurimum jocari conſueveram. Advenio ad rivulum, qui utriuſque pagi fines diſterminat: Is vernis aquis paulullum excreverat. Ergo verti me in opaciſſimam, quae adſtabat, ſylvam,* pro-

(a) Diſſertat. De anima Brutorum.

proceris caſtaneis, quercubus, aliiſque arboribus conſitam. Ita autem in ea me implico, ut quum volo, exeundi nullas, quantum circumſpicere poſſum, vias invenio. Adſideo maerens primum, mox lacrymans, hinc ejulans: adblanditur canis, & quaſi me provocans ſaepe ingreditur viam; iterum redit, nec, niſi ut manu me comprehenderet, deerat. Flebili me excitat voce, lacrymantique illacrymatur.... Ad veſperum uſque in eo me ſitu macero. Tum cadere umbras quum adſpicio, ſylvamque obtenebreſcere, pavidus rigidis capillis adſurgo: Canis totum me ruſpatur, prehenſat. Eum tandem ſector ducem, qui domum refert incolumem. Gratus me ei vitam debere agnoſco. Hactenus celebris Viri hiſtoria. In quo ſane exemplo aliiſque pene innumeris, quis niſi in phyſicis plane plumbeus inficiari poterit, dilucide admodum ab unoquoque ſpectari poſſe rerum inprimis perceptiones, judicia, ratiocinationes, ſolertias, vafrities, atque ea cuncta, quae nonniſi ſpiritali principio attribui neceſſario debent? Quae de canibus memoranda celebrantur, eadem ferme de felibus, dum ſoricibus inſidiantur, de ara-

neis dum muſcarum venationem moliuntur, de ſimiis dum univerſas hominum operationes adamuſſim aemulantur, de vulpibus dum avibus inſidiantur, de apibus atque hirundinibus dum alvearibus aut nidificationibus navant operam, dici aeque nec injuria debent.

Corollarium I.

§. 85. *Ergo animae brutorum ſubſtantia neque impenetrabiliter extenſa eſt, neque in partes integrales diviſibilis, neque iis item inſtructa proprietatibus, quae explicari debeant per magnitudinem, figuram, motum, quietem, ac ſitum corpuſculorum.* Quod enim ſpiritale eſt poſtulat, ut per immechanicas affectiones explicetur (Part. II. §. 46.)

Corollarium II.

§. 86. *Igitur brutorum anima nulla ratione corpus eſt;* Quum enim ſpiritalis ſubſtantiae nomine illud deſignetur, & a nobis rigide fuerit uſurpatum quod diverſi omnino generis eſt a corporea quapiam ſubſtantia (Part. II. §. 18. §. 19.); conſequitur eamdem animam inter corporea nullatenus poſſe computari.

Co-

Corollarium III.

§. 87. *Ergo anima brutorum ſubſtantia ſimplex eſt:* Quum enim nequat in partes integrales ſecari, nec ea entitative ſit extenſa (§. *61.*), compoſita ipſa ex iis haudquaquam eſt: Ergo ſimplex dicenda eſt.

Corollarium IV.

§. 88. *Ergo anima brutorum nullam habet, nec habere poteſt, magnitudinem, ſeu figuram.* Illud enim duntaxat capax magnitudinis, & configurationis habetur, quod ſecundum plures dimenſiones corpus eſt entitative extenſum.

Corollarium V.

§. 89. *Ergo anima brutorum non eſt ſubſtantia, quae aut moveri queat de loco in locum, aut ipſa quieſcere dum eſt in motu.* Hujuſmodi enim proprietates, aliaeque id genus, nonniſi corpori extenſo proxime, & immediate conveniunt (Part. II. §. 15.)

Corollarium VI.

§. 90. *Ergo quidquid ab incorporea, & ſpiritali brutorum anima ortum habet ſpiritale, & ipſum eſſe neceſſe eſt.* Perſpicuum namque ſtatim ſe prodit illud corporeum non eſſe, & per mechanicas affectiones expl-

plicari non poſſe, cujus principium per oppoſitas, atque immechanicas leges explanatur.

COROLLARIUM VII.

§. 91. Ergo rerum perceptio, judicium, ratiocinatio, volitio, imaginatio, memoria, & reliquae operationes, quae ut in anima belluarum fiunt ita ab eadem proficiſcuntur, aliquid ſunt omnino diverſum a corporea quapiam ſubſtantia mechanicis proprietatibus affecta.

COROLLARIUM VIII.

§. 92. Igitur belluina anima, ſubſtantia ſpiritalis eſt appellanda, eaque *ſimplex*, & *indiſſolubilis*, *inviſibilis*, & *incorporea*.... *carens pondere*, *figura*, & *colore*; quemadmodum ex Auctore Libri *de ſpiritu*, & *anima* (Part. II. §. 50.) non immerito argumentabamur.

COROLLARIUM IX.

§. 93. *Ergo anima belluarum ſubſtantia dici rite poteſt*, *quae intrinſecus*, *ſive ipſa ſua natura perire nequeat*, *niſi per annihilationem*; omnis namque ſubſtantia ſimplex eſt intrinſecus incorruptibilis (Part. II. §. 57.): Ergo interimi ipſa nequit niſi per

annihi-

annihilationem; quemadmodum (Part. I. §. 314.) ſtatutum fuit.

COROLLARIUM X.

§. 94. *Ergo falſo inferunt ex opinione noſtra Carteſiani nec non Peripatetici quaecumque adverſus ſive naturalem ſive revelatam Religionem abſurda, ut ipſi vulgo effutire ſolent, atque inconvenientia, ut a tuenda animantium ſpiritalitate deterreant.* Enimvero quiſquis Philoſophus, ea ſemper prae oculis habere & ſpectare debet inter differendum veſtigia, quae ex praeſentibus, quas habent homines ideis hauriri poſſunt (§. 1.) effectus deinde atque phoenomena ex iiſdem aut ſimilibus cauſis eadem vel ſimilia erui debent; nec non ex iiſdem vel ſimilibus effectibus eaedem vel ſimiles cauſae ſunt exſpiſcandae (§. 5.): Ea demum inter nos tanquam indubia & certa haberi neceſſe eſt, quae aut perſpicua mentis perſuaſione intimaque conſcientia aſſequimur atque intuemur, vel quae clara demonſtratione ab omnibus intelliguntur (§. 3.) Quum autem collatis hominum cum belluinis operationibus atque phoenomenis, nec non ex praeſentibus quas habent homines

mines hac ſuper re ideis, ita mens noſtra determinetur ut non ambigat ſpiritale eſſe prorſus, quod belluis ineſt, ab iiſque peragitur (§. 9. §. 11. §. 13. §. 15. §. 16. §. 18. §. 36.), conſequitur, tum falſum plane eſſe quidquid contra a memoratis philoſophis demonſtretur, tum inania prorſus argumenta illa eſſe omnia, quae ab inconvenienti, ut ſcholaſtici loquuntur, peti cum ingenti jactatione & clamore ſolent; quemadmodum etiam ſuperius (§. 52.) levi adumbratione demonſtrare ſeu explanare curavimus.

SCHOLION.

§. 95. Hactenus de brutorum natura eJuſque viribus ſermocinari, quantum ingenii noſtri vis patiebatur, ſtuduimus. Utrum in maxima harum diſceptationum obſcuritate quod ſaltem veroſimilius eſt attigerimus, videant ſapientiores, quorum & judicio acri & eruditioni uberiori me committo. Sapientiores inquam, quorum ſententia, ut mihi tanquam certa cogitandi & bene de rebus philoſophicis decernendi metodus conſtituta eſt, ita eadem perſuadet, eos flocci eſſe faciendos homunciones, ſtupi-

ſtupidos plane ac temerarios, qui quantum impoſtura valent, & invido animi tumore, tantum rerum omnium ignoratione indoctorum ingenti multitudini praeferri debent. Attamen duobus potiſſimum recreari me ſentio; tum quod tam excelſa animi magnitudine mirum in modum extolli me ſentiam, ut horum amicitiam non curem, inimicitiam autem aſperner; tum quod, perbrevi tertia hac lucubratione interpoſita, & qui legunt, & vos quotquot eſtis Metaphyſicarum Inſtitutionum Auditores a difficilioribus relaxati, ad ea quae poſtremo loco ſunt reliqua alacrius percurrenda ſitis voſmetipſos comparaturi.

Digitized by Google

METAPHYSICES

PARS QUARTA.

THEOLOGIA NATURALIS.

* * * * * * * *
* * * * * * *

SI quid eſt, quod ad Metaphyſicam facultatem maxime pertineat, & in quo Orthodoxi ejus cultores ſupremam adhibere fas ſit ſolertiam, atque indefeſſum in diſcendo ſtudium; illud ſane eſt, quod omnium judicio perpetuo fuit comprobatum; *Naturalem* inquam *Theologiam;* quo ſane ſtudio in tota qua late patet Phyſiologiae provincia nihil eſt, aut pulchrius, aut jucundius, aut utilius, aut magis etiam neceſſarium. Quamvis vero haec noſtra Metaphyſices Pars, reliquis

liquis dubio procul praeſtantior, ex ipſa tituli nomenclatura quidquid in ea pertractari contingat naturalis tantum rationis ductu demonſtrare polliceatur; attamen quum ea ipſa intra loci hujus dignitatem, atque a Catholicis, & omnigena cogitandi ſobrietate praeditis juvenibus verſari debeat, ita naturalis eadem ratio temperanda eſt, ut quae a Religione revelata proficiſcuntur non audeat, aut evertere, aut tranſilire. De Deo igitur, ejuſque praecipuis attributis res erit nobis inpraeſens; ipſius videlicet naturam, quoad humani ingenii vires pertingunt, ipſius item exiſtentiam adverſus Atheos, ejuſdemque adverſus Deiſtas providentiam, & reliqua plurima, quae vere Deo digna ſint uſitata methodo, ac theoreticis demonſtrationibus conſtituere curabimus. Nos itaque pro inſtituta docendi ratione ad illa primum ſtruenda progrediemur, quae tum captu faciliora ſunt, tum quae nonniſi a veſanis mentibus pernegantur; ut inde ad illa tandem fauſto pertingamus, quae aut non adeo nobis perſpicua habebantur, aut quae noſtra hac tempeſtate non aeque omnes excipere volunt, atque fateri.

SECTIO I.

De Dei Natura.

TAmetſi, ut omnium fert ſapientum proloquium, nemo melius de Dei Opt. Max. eſſentia diſputare valeat, quam qui a Deo ipſo inter differendum plura removere ſolent, quae infinitae excellentiae nulla ratione conveniant, id tamen a nobis inpraeſentiarum praeſtandum fore non ducimus, quod haec tractandarum rerum provincia nullis quodammodo finibus circumcluſa videatur, atque intra breves Inſtitutionum noſtrarum conſtitutos terminos tam lata dicendi ſeges nequeat contineri. Quapropter quid Deus ſit primum metaphyſica tantum demonſtratione oſtendemus, quid vero ipſe non ſit nonnullis Corollariis patefieri curabimus. Antequam vero ad Theoremata tranſeamus, ſit

AXIOMA I.

§. 1. *Cuilibet Entis ideae aſſentiri mens debet, in quo nulla appareat contradictio.*

AXIOMA II.

§. 2. *In Entis omnium perfectiſſimi idea nulla menti objicitur contradictio.* E-
nim-

nimvero perfectiſſimum Ens illud recte appellari debet, quod infinitum eſt in omni perfectionis genere; nimirum quod natura ſua adeo perfectum eſt, ut nullum plane ſit perfectionis genus, quod abſque limite non comprehendat. Hanc itaque *perfectiſſimi* ideam tametſi humanae mentis acies non uno tantum ac ſimplici intuitu propter ipſius infirmitatem aſſequatur, verum inadaequata perceptione contempletur, in eadem nihilominus ſpectare nihil valet, quod repugnans ſit & contradictionem involvens.

COROLLARIUM.

§. 3. *Ergo Entis omnium perfectiſſimi ideae aſſentiri mens debet.*

AXIOMA III.

§. 4. *Inter plura, quae Entis omnium perfectiſſimi ideae convenire mens humana intelligere non abhorret ejus exiſtentia jure computari debet.* Entis namque omnium perfectiſſimi haudquaquam perciperetur idea, ſi ipſi, ut patet, exiſtentia deeſſet.

DEFINITIO.

§. 5. *Deus* itaque *Ens omnium eſt perfectiſſimum;* ſeu *id*, quemadmodum ſaepe defi-

definit Auguſtinus (a) *quo melius excogitari nequit;* ſive etiam, ut plures definiunt, *Ens aeternum, omniſcium, liberum, ab omni materiae compage ſegregatum, a ſe atque adeo neceſſario exiſtens, plenum rationis atque conſilii, ſibi ad beatitudinem ſufficientiſſimum, a quo adſpectabilis mundus, quaeque in illo ſunt condita fuerint, & facta regantur.*

SCHOLION.

§. 6. Deum eſſe id, quo melius excogitari nequeat, praeter Auguſtinum, teſtantur etiam D. Anſelmus (b), Carteſius (c), Socrates (d), Tullius (e), Stoici omnes (f), atque ipſemet verae Divinitatis infenſiſſimus hoſtis Benedictus Spinoza (g). Neque vero iſti ſolum dilucidiori notione de Deo recte ita ſenſiſſe viſi ſunt, verum etiam ex communi omnium gentium perſuaſione noſtra haec definitio proficiſcitur, adeo ut omnium

G tam

(a) Lib. I. de Doctr. Chriſt. Cap. VII. atque in omnibus Soliloquior. Libris.
(b) In Menologio.
(c) Meditatione Tertia.
(d) In Phoedone.
(e) De Natura Deor. Lib. XI.
(f) Apud Laert. Lib. VII. Sect. 147.
(g) Aethic. Part. I. Defenſ. VI.

tam doctorum quam indoctorum intimus hic ac manifeſtus ſit ſenſus. *Omnes certatim pro excellentia Dei dimicant*, inquit S. Auguſtinus; *nec quiſquam inveniri poteſt, qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt. Itaque hoc omnes Deum conſentiunt eſſe, quod caeteris rebus omnibus anteponunt* (a).

COROLLARIUM I.

§. 7. *Ergo Dei ideae aſſentiri mens debet.* Etenim Entis omnium perfectiſſimi ideae aſſentiri mens debet, in qua nulla appareat contradictio (§. 2. §. 3.)

COROLLARIUM II.

§. 8. *Ergo Dei exiſtentis ideae aſſentiri mens debet.* Niſi enim inter ea plura, quae ad Dei ideam nobis efformandam confluunt, exiſtentia contineretur, aliquid dubio procul in illa deeſſet, quod perfectiſſimi omnium Entis ideam concipere prohiberet. (§. 4.)

COROLLARIUM III.

§. 9. *Ergo Deus neque a ſe neque ab alio poteſt in aliquo perfectionis genere & in determinata perfectionum linea coarctari.* Non *ab alio*; quum nullum ſit *Ens*, cui Deus

(a) Ibidem.

Deus ſubiiciatur. Non item *a ſe;* quum fieri nequeat, ut quod ſibi ſufficiens ratio exiſtendi eſt, ſibi quoque ſufficiens non ſit ratio continendi in quovis perfectionis genere quidquid Ens perfectiſſimum conſtituit (§. 2.)

COROLLARIUM IV.

§. 10. *Ergo anima ſive Mundi hujus ſubſtantia Deus eſſe non poteſt.* Enimvero hujuſmodi ſubſtantia nulli imperfectioni eſſet obnoxia, contra atque ipſa oſtendit experientia & ratio ſuadet.

PROPOSITIO I.

Dei Opt. Max. Natura per id conſtituenda eſt per quod ipſe eſt id quod a ſe eſt.

§. 11. *Demonſtratio:* Dei Opt. Max. Natura per id conſtituenda eſt, per quod eſt omnium Ens perfectiſſimum (§. 5. §. 6.): Sed Deus per id eſt omnium Ens perfectiſſimum, per quod ipſe eſt id, quod a ſe eſt: Ergo &c.

Prob. min. Id quod a ſe eſt Ens, rationem in ipſa ſua eſſentia habet, cur ipſum ſit; ſeu ideo exiſtit, quia eſt id, quod eſt (Part. I. §. 120.): Atqui haec ratio in Deo cur a ſemetipſo exiſtat, omnium eſt perfectiſſima: Ergo &c.

Prob. min. Unumquodque exiſtens, vel a ſe eſt, vel ab alio (Part. 1. §. 123.): Sed quod ab alio eſt, eo imperfectior eſt, quod a ſe exiſtit: Ergo &c.

Prob. min. Quod ab alio eſt, alio perinde indiget ut exiſtat, ut per ſe patet, contra vero quod a ſe exiſtit hoc alio non indiget; & a ſe habet cur exiſtat (Ibid. §. 122.): Ergo &c. Ergo ratio in Deo, cur a ſemetipſo exiſtat, omnium eſt perfectiſſima.

COROLLARIUM I.

§. 12. *Ergo Dei Opt. Max. natura per id conſtituenda eſt, per quod ipſe neceſſario exiſtit:* Enimvero quod per ſuam eſſentiam exiſtit, neceſſario exiſtit (Ibid. §. 126.).

COROLLARIUM II.

§. 13. *Ergo Dei Opt. Max. natura per id conſtituenda eſt, per quod ipſe eſt Ens independens:* Etenim neceſſarium exiſtentiae illud vocari debet quod exiſtentiae ſuae cauſas haudquaquam agnoſcit, nec habere poteſt (Ibid. §. 98.): Ergo Dei Opt. Max. natura ab iis eſt Ens independens.

PROPOSITIO II.

Perfectiſſima Dei Opt. Max. natura neceſſario exiſtit.

§. 14. *Demonſtratio:* Ideae Dei aſſentiri mens debet (§. 7.); & ipſius quidem exiſtentis (§. 8.): Atqui naturae divinae ideae neceſſario exiſtentis aſſentitur: Ergo &c.

Prob. min. In Entis omnium perfectiſſimi idea nulla menti objicitur contradictio (§. 2.): Atqui in hujuſce ideae contemplatione ejus etiam exiſtentia neceſſario ab ipſa mente ſpectari debet (§. 4.): Ergo &c.

COROLLARIUM.

§. 15. Ergo quum mens humana perfectiſſimam Dei Opt. Max. naturam neceſſario exiſtentem cogitatione complectitur, Deum eſſe id, quo melius excogitari nequeat (§. 5. §. 6.), neceſſario debet intra ſe judicare.

SCHOLION I.

§. 16. Paucis complexi ſumus, quae Dei Opt. Max. naturam, ejuſque neceſſariam exiſtentiam metaphyſicorum argumentorum ope ſpectabant. Quum vero quae nonnullos incredulos forte adhuc in Italia noſtra degentes, alioſque pene innumeros ultra montes, aut toto orbe diviſos argumenta proſternere ſolent, quae ab evidentia, ut ajunt, phyſica petuntur, ea potiſſimum, ſi-

ve ad refellendos, ſive ad convincendos id genus homines haberi debeant, recte idcirco a nobis factum eſſe non dubitamus, ſi ad Dei naturae exiſtentiam dilucide oſtendendam univerſas huc cogitationes, & ingenii vires convertamus. Evidentiam inquam phyſicam, eam nimirum, quae licet non ſit omnium maxima, ſufficit tamen ad extorquendum aſſenſum conſtantem, atque firmum; ſi non a protervo, deque omnibus dubitante, certe a viro docili, veritatiſque amatore ingenuo. Rem quippe cum iis incredulis, ſive Atheis agere mihi propoſitum eſt hoc loco, qui etſi omnia inficientur, ipſa tamen evidentiſſima cognitionum principia pro veris admittere aliquantulum dociles inveniuntur: Alioquin ſi res nobis cum iis eſſet habenda, qui ſenſu penitus carentes intemperantiorum Scepticorum more omnibus refragari audent, ſupervacaneus labor noſter eſſet dubio procul habendus. Itaque praeter Metaphyſica, quae ſupra elucubravimus hac ſuper re levi ſtudio argumenta, alia duo quoque praeſto adſunt argumentorum genera, quae commemoratam a nobis eviden-

dentiam phyſicam conſtituunt; quorum prius ad Philologiam, ſive ad humanam Hiſtoriam, alterum vero ad ea, quae ex Phyſicis demonſtrationibus derivantur, ſpectat. Ut a prioribus philologicis argumentis exordiamur, Deum exiſtere nulla Natio extitit olim, aut hodie exiſtit tam moribus efferata, quae fuerit inficiata; quinimo ex perpetuo conſtantique omnium gentium populorumque conſenſu in primis eruitur, Deum eſſe ſupremum univerſi conditorem, & gubernatorem. Barbarae ipſae Nationes nuper a noſtris Europaeis cognitae non ſolum idem de ſupremi Numinis alicujus exiſtentia ſenſere, verum etiam eidem externum cultum, & religionem decrevere; Tartari ſcilicet penitiſſimi, & Samojedae ad Oceanum glacialem ſiti; Islandi item, Groelandi, Americani Septentrionales; Miſſipenſes praeterea, Canadenſes, Mexicani; Peruani quoque, & Chilinenſes, aliique permulti inhoſpitarum etiam Inſularum cultores (quemadmodum ex itinerariis omni exceptione majoribus ſatis ſuperque manifeſtum eſt); ipſi omnes inquam in id perpetuo conſenſere, vel a na-

tura, vel a Deo ipſo, ut idem ſupremum extare Numen faterentur. Hujuſce notionis quocumque modo habenda ſit ratio; attamen quantum ejuſdem argumenti ſit pondus, quantaque vis, nemo cordatus neſcit; omnium quippe gentium conſenſus tanquam naturae quaedam vox, nobiſque congenita inſtitutio ſemper eſt habita. *Nec vero id*, praeſtantiſſimo Tullio docente (a) *colloquutio hominum, aut conſenſus effecit; non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus;* adeo ut proinde haec doctrina ab ipſa divinitate primis mortalibus tradita fuiſſe, cuilibet ratione bene utenti modo jure videatur. Enimvero, ut alibi profunde, more ſuo philoſophico, expendit ſupra commemoratus eximius Tullius (b), *niſi id cognitum comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſaeculis aetatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus, caeteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuiſſe..... Opinionum enim*

com-

(a) QQ. Tuſc. Lib. I. Cap. XIII.
(b) Lib. II. De Natura Deorum Cap. II.

commenta delet dies (ſic ita concludit eloquentiſſimus Philoſophus), *naturae judicia confirmat*. Quum vero haec de Divinitate opinio non in rudibus ſolum atque indoctis poſt hominum memoriam inſediſſe reperiatur, verum etiam ipſa firma & conſtans apud cultiores Gentes & penes praeclariſſimos totius antiquitatis Viros nobis occurrat, nemini proinde dubitandum ſupereſt, eandem aut politicum fuiſſe, ut homines in officio continerent, Legislatorum commentum; aut (quemadmodum Atheus contendere poſſet) Dei notionem inter infantiae praejudicia debere conſtitui. Et ſane ſupremi alicujus Numinis exiſtentia conſtanti eorum omnium vetuſtiſſimorum Philoſophorum firmata conſenſione ſententia legitur, qui maximo in pretio anteactis temporibus habiti ſunt, & nunc etiam merito optimoque jure haberi poſſunt: Neque enim ſine maxima temeritatis nota contendere aliquis poſſet, praejudicatam opinionem tantum in ſummis Viris valuiſſe, ut prohibuerit prorſus, ne verum in re tanti momenti eorum aliquis viderit. In Jonica Secta omnium primus fertur

Ana-

Anaxagoras, qui Mentem rerum omnium procreaticem aſſeruerit; imo ante illum idem tradiderat Thales, atque Xenophanes. Pythagoras item cum univerſa Italica Schola Deum agnovit in ſe ſe totum, mundique Opificem. Plato quoque pro rei dignitate de ''vina natura in Timaeo aliiſque comm'ntariis diſſeruit; eumque ſequuti ſunt Speuſippus, Maximus Tyrius, Plotinus, Jamblicus, Proclus, Apulejus, caeterique Platonici. Primam cauſam praeterea aſſequutus eſt Ariſtoteles, atque ipſius aſſeclae, Heraclides, Theophraſtus, Simplicius. Anthiſtenes etiam Cynicorum, & Zeno Stoicorum Principes hanc doctrinam ſectatoribus ſuis tradiderunt: Nec ipſi Epicurei Deos penitus ſuſtulerunt. Luculenta tandem de Deo teſtimonia reliquerunt Seneca, Tullius, Epictetus, & Marcus Aurelius; quorum verba collegere Clemens Alexandrinus in Libris Stromateon, Juſtinus in Apologetico, Lactantius in Libro de Ira Dei, Minucius Felix in Octavio, Athenagoras, Cyrillus, Euſebius, Auguſtinus, aliique plures; atque ex horum Scriptorum eruditione operoſius in comperto

rem

rem conſtituere ſtuduerunt Auguſtinus Steuchus (a) Gerardus Voſſius (b), nec non Clar. Petrus Daniel Huetius (c). Verum non Scriptores ſolum, qui ſoluta methodo de ſupremo Numine verba fecere, ejuſdem exiſtentiam confirmaſſe leguntur; verum etiam Poetae Deum commemoraſſe apertiſſime conſtat. Homeri quum primis carmina, ubi Phoenix Ulyſſem affatur, recitat in ſua Apologia Juſtinus Martyr. Ex Paraeneticis Phocylidi plura laudat Eugubinus (d); Orphei, Arati, Haeſiodi, & Sophoclis multa proferunt Athaenagoras, atque Lactantius. Nonnulla etiam exſcripſit Vir Clar. Dionyſius Petavius (e). Reliqua vero, quae innumera quodammodo exſcribenda occurrerent, ne taedio auditores afficiam, praetermittere lubet; quibus etiam addere non incongruum eſſet praeclara Sibyllarum teſtimonia, niſi de earum exiſtentia inter eruditos non bene conveniret. Coronidis loco illud habeatur, quod Clar.

ſupra

(a) De perenni Philoſophia.
(b) Lib. I. De progreſſu Idololatriae.
(c) Lib. II. Quaeſt. Alnetan.
(d) Lib. III. De Perenni Philoſoph. Cap. II.
(e) Theolog. Dogm. Lib. I. Cap. III.

ſupra memoratus Huetius (a) animadvertit his verbis: *conſentientes habemus potiſſimum eas gentes, quae aliquam ab ingenio, & elegantiori cultu duxerunt commendationem, Romanos, Graecos, Aegyptios, Aſſyrios, Chaldaeos, Perſas; qui ignem, & ſolem, non ut Deos, ſed ut ſupremi Dei, rerum omnium Principii, & Auctoris imaginem coluerunt; Brachmanes, quae Indicae gentis, Sinenſes, quae Orientis totius cultiſſima pars eſt: Inter quos ſecta quaedam ſummum Dei opificem Tao appellat, nomine, uti coniicio, ab Aegyptiorum Theuth deducto.*

Non me latet Gentes nonnullas; paucas illas quidem & ſummopere barbaras atque incultas (ſi tamen Itinerariis recentibus fides eſt adhibenda), Deum ignoraſſe fuiſſe repertas. Nihil tamen mirum, id etiamſi dare velimus; neque ullatenus idipſum veritatis expoſitae vim infringit: Quandoquidem ab humano commercio ſegregatae, ac vitae ſolum fruendae conſervandaeque intentae in immanem illam ſtupiditatem pervenire forte potuerunt; quum tamen reliquae totius Orbis Nationes ad idem affir-

man-

(a) Ibidem.

mandum conſpiraſſe perpetuo nobis fide dignas hiſtorias legentibus occurrant. *Paucitas ipſa* (ita egregie animadvertit pro re noſtra Clar. Grotius (a)), *& quod ſtatim intellectis argumentis, rejecta univerſim eſt eorum opinio, oſtendit, non provenire hoc ex uſu rectae rationis, quae hominibus communis eſt; ſed aut ex ſtudio novitatis, quali tenebatur, qui nivem atram eſſe contendebat, aut ex mente corrupta; ſicut vitiato palato res, non ut ſunt, ita ſapiunt; praeſertim quum hiſtoriae, & alia ſcripta doceant, quo quiſque fuit probior, eo diligentius ab ipſo cuſtoditam de Deo notitiam; atque adeo a pravo ingenio, eorum maxime, quorum intereſt, ne quis ſit Deus, ideſt humanarum actionum judex, venire hanc a tam recepta antiquitus ſententia diſſenſionem, vel hinc apparet, quod quidquid illi ponunt, ſive generum ſucceſſionem abſque ullo primordio, ſive atomorum concurſum, ſive aliud quidvis, id non minores, ſi non majores habere difficultates, neque eo quod receptum eſt magis eſſe credibile, cuivis ad rem mediocriter attendenti ſatis apparet.*

SCHO-

(a) Lib. I. De Veritate Relig. Chriſtian. Cap. II.

SCHOLION II.

§. 17. Quanquam phylologica argumenta, quae hactenus exhibuimus, quaeque uberiori eruditione conficere, atque in propatulo proferre valeremus, Deum exiſtere teſtatiſſimum faciant; attamen ut ſuperius pollicebar operae hic pretium eſſet phyſica eadem ſuper re argumenta educere, ut luculentiſſimam demum demonſtrationem conficeremus. Quum vero haec ex adſpectabilis hujuſce Univerſi ordine pulcherrimo, mirabili ſtructura, finibus, ac motibus conſtanti lege ſervatis deſumantur, ad eadem proinde antequam accedamus, neceſſe eſſe ducimus accurate adverſus recentes Atheos demonſtrare, Deum nimirum natura ſua ipſum univerſum non eſſe, ſed univerſi cauſam creatricem: In qua ſane percurrenda provincia illud una confici fauſto poſſe confidimus, ut Pantheiſmus, ſeu Spinoziſmus inviɛtiſſime refellatur. Hujus itaque erroris veſania quamvis a Benedicto Spinoza nuperrime in ſcenam prodierit; quemadmodum ex Libello vere ſceleſtiſſimo *Pantheiſticon* appellato, Auctore Tolando, Spinozae in Anglia ſectatore apparet; attamen,

tamen, Deum eſſe hoc univerſum perantiquum eſſe errorem ex hiſtoriae philoſoficae monumentis ſatis conſtat. Etenim in ea opinione Eleatenſes quoſdam Philoſophos fuiſſe, quemadmodum Pythagoricos, ac Stoicos pluribus oſtendit Buddeus (a); atque diſertis verbis docet Seneca (b); ut alia plura veterum teſtimonia praeteream, quae hanc hiſtoriam manifeſte confirmant. Antequam vero ad Theoreticas Propoſitiones accedamus, neceſſarium duco nonnulla, tanquam comperta, & demonſtrata ſupponere, & mihi deinceps ea demonſtraturo pollicenti, concedenda eſſe non dubitare; quorum primum ſit

HYPOTHESIS I.

§. 18. *Adſpectabilis hic Mundus corporeus, aeternus non eſſe, ſed aliquando caepiſſe videtur.*

HYPOTHESIS II.

§. 19. *Si ex praeſentibus ideis, quae modo nobis objiciuntur philoſophari debemus, mundum, ſive materiam mutabilem, atque in infinitum modificabilem; tum ad motum, & ad*

(a) De Atheis, & Superſt. Cap. I.
(b) In QQ. Natural.

& ad quietem indifferentem eſſe prorſus affirmare debemus.

HYPOTHESIS III.

§. 20. *Si earumdem idearum lumine argumentari rite volumus mundum hunc, non fortuito, ſed conſilio, arte, & ſapientia fuiſſe conſtructum, atque etiamnum in eodem mirabili ordine conſervari a ſuprema aliqua vi fateri compellimur.*

SCHOLION.

§. 21. Tanta ſe ſe offert Naturae totius pulchritudinem intuenti, conſilii, & mirabilis artificii in hoc fabricando univerſo ſapientia; admirandus videlicet rerum omnium concentus, & perennis conſtantia; in qua tanta eſt vetuſtas quanta eſt apud homines memoria, ut niſi unuſquiſque affectu potius, quam veri amore philoſophari velit, id totum caſui nequeat attribuere.

HYPOTHESIS IV.

§. 22. *Vires, quas in omnibus iis univerſi partibus, quae ſaltem cognitioni noſtrae ſubſunt, ſpectare poſſumus, tum intenſitate finitae ſunt, tum uſu & attritu veluti quodam conſumuntur.*

SCHO-

SCHOLION.

§. 23. Prior hujuſce Hypotheſis noſtrae Pars nulla indigere illuſtratione videtur, neque exemplis e phyſicis rerum animadverſionibus petitis explanari debet. Quis enim dubitare adhuc poteſt, ignis *ex. gr.* quantumvis ardentiſſimi vim, intra fines quoſdam concludi, quos ultra nequeat pertingere, nec, niſi majores addantur vires, fortius operari? Et ſic in infinitum. Altera vero ejuſdem Pars; tametſi aeque perſpicua ſtatim ſe prodat; attamen quum de univerſis viribus, quae multiplices inter ſe ſunt, fuerit nobis ſermo, lubet proinde peculiarius aliquid paucis innuere. Corporis noſtri partes motu perenni atteri ac debilitari ſentimus; quocirca niſi iis reparandis confirmandiſque potus & cibi ſubſidio ſtuderemus, machinae vigor ſenſim langueſceret; ac penitus reliquae etiam vires interirent, niſi recens quotidie ſanguis, lympha, aliique humores, quibus corpus nutritur & viget, chyli ope elaborarentur. Vires praeterea illae, quae in aliis inanimatis etiam corporibus a natura inſunt, quemadmodum animadvertit Clar. Newtonus in ſua Opti-

ça, quum in perpetuo cum aliis conflictu verſantur, in motibus praeſertim circularibus ſive compoſitis, neceſſe eſt earum quantitatem imminui directionemque paulatim immutari, niſi perpetua manu inſtauratrice gubernentur.

HYPOTHESIS V.

§. 24. *In tota natura tam mira eſt rerum ſeries, quarum aliae aliis nexae mutuis inter ſe officiis ſibique reſpondent, ac conſtanti lege in ſuum ſe ſe dirigere finem videntur; ut ratione aliqua movente impelli credi debeant.*

SCHOLION.

§. 25. Rerum earundem naturalium fines paulo vicinius contemplemur: Si quis attento oculo plantarum ſtructuram intueatur, atque infinitarum partium, quibus illae conſtant, non mirabilem nexum ſolum, verum etiam officia atque fines, quae ipſae conſtantiſſime ſervant, ab aliqua moveri mente, quod ipſis plantis praeſtantior ſit, credere quodammodo compellitur: Si quis nimirum vaſa, quibus illae nutriuntur, quibus nutritius elaboratur ſuccus, quibus etiam comparatur atque formatur, ut

erum-

erumpat aut in frondes, aut in fructus; quibus denique idem ſuccus ad uſque radices fluit, & quaſi; ut in animante ſanguis; circulum abſolvit; ſi quis inquam cuncta haec attento ſtudio conſideret, nonniſi plane ſtupidus haberi poterit, qui abſque conſilio fieri, audeat intra ſe etiam putare. Structura praeterea, quum animantium omnium, tum praeſertim hominis in cunctis ſuis partibus adeo affabre conſtituta, probeque elaborata conſpicitur, ut nulla ex tot, tamque diverſis particulis occurrat, quae fini ſuo, & officiis non bene reſpondeat. Unam ſi oculi humani ſtructuram introſpiciamus; tunicas, nimirum, earumque figuram, humores, reticularem membranam, nervum opticum, muſculos multiplices; externa quoque munimenta, ſupercilia, palpebras, aliaque ad viſionis ſenſationem neceſſaria; omnia inquam haec ita conformata intuebimur, ut externarum rerum imagines luminis reflexione, atque refractione in oculi fundo mirifico plane mechaniſmo depingantur. Idem vero, & in caeteris humani corporis partibus animadvertere poſſumus, quae affabre adeo

inter ſe ſunt contextae; quarum quaelibet ſuum reſpicit finem, & ad quem factas eſſe aperte intelligimus; ut omnes ad unum tandem finem ordinatiſſime referantur. Enimvero tota hominis machina ad vitam humanam conficiendam, conſervandamque temperata eſt: Is eſt omnium partium, quibus ea conſtat, communis finis: Nempe homo vivere nequit, niſi anima, quae vitae eſt principium, omnes corporis partes harmonice veluti moveat. Ut vero motiones iſtae ordinate peragantur, neceſſe quumprimis eſt, ut ſingulae hujuſce machinae partes ad motus ſuos obeundos ita ſint comparatae, atque ita aliae cum aliis contextae, ut in iiſdem motibus conſtanti ordine perſeverare valeant. Nervi videlicet totam machinae harmoniam, ſtructuramque componunt, ac ſervant; iique omnes ex uno fonte, cerebro ſcilicet, derivantur: Venae, & arteriae, aliaque vaſa pervehendis humoribus apte ſita cernuntur: Singulis prope partibus totidem quoque muſculi, ac fibrae erigendis motibus conſentanei, qui veluti elateres totius machinae jure appellari debeant: Oſſa demum, eam-

dem

dem, velut totidem fulcimentis, machinam conſiſtere faciunt, ne collabatur. Ne vero haec longa motus duratione, aut atteri, aut periclitari valeant non uno continuo corpore continentur, verum in partes ſecta, ac ligamentis quibuſdam cum carne conjuncta videntur. At vero neceſſe deinde eſt ad eandem vitam tuendam, ut in corde elaboretur ſanguis, atque in arterias reſpirationis ope impellatur; ut pulmones quoque aeri excipiendo apti dilatentur & conſtringantur, ut moderatus calor ventriculum atterendis concoquendiſque cibis cum ſucco quodam perpetuo occupet; ut lien & jecur praeterea bili, quae digeſtioni neceſſaria eſt, parandae ſemper incumbant; ut demum inteſtina muſculorum vi nutritioni ſuperflua nitantur egerere. His autem partibus infinitae praeterea minores ac majores famulantur adeo, ut nulla omnino ſit in corpore humana particula, quae non ad communem vitae finem ſpectare conſtet. Haec itaque omnia qui ſerio animadverterit, attentoque fuerit animo contemplatus, non dubito, quin eo tandem veniat, ut nobiſcum fateatur, exi-

miam Mundi machinam, quaeque in illo ſunt corpora ſine ratione atque conſilio fieri minime potuiſſe. *An quum machinatione quadam*, inquit elegantiſſimus Cicero (a) *moveri aliquid videmus, ut ſphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera ſint rationis: Quum autem impetum caeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, conſtantiſſime conficientem viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute & conſervatione rerum omnium dubitamus, quin ea non ſolum ratione fiant, ſed etiam excellenti quadam divinaque ratione?*

HYPOTHESIS VI.

§. 26. *Tanquam rectae rationi maximopere conſentaneum puto, univerſa; quae in hoc adſpectabili Mundo tum ſapienter conſtructa videmus, tum ordinate & concinne ſuis finibus reſpondere ad evidentiam nos convincunt; non a pluribus dirigentibus, ſed ab una tantum mente gubernari.*

SCHOLION.

§. 27. Quanquam id non abſonum a ratione ſit inpraeſentiarum tanquam indubita-

(a) Lib. II. De Natura Deor. Cap. XXXIX.

bitatum ſupponere; attamen S. Thomae argumentatio acris atque dilucida ſatis valet rem propoſitam illuſtrare. *Omnia enim*, inquit idem (a), *quae ſunt, inveniuntur eſſe ordinata ad invicem, dum quaedam quibuſdam deſerviunt. Quae autem diverſa ſunt, in unum ordinem non convenirent, niſi ab aliquo uno ordinarentur: Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum, quam per multa, quia* per ſe unius *unum eſt cauſa, & multa non ſunt cauſa unius, niſi per accidens; in quantum ſcilicet ſunt aliquo modo unum. Quum igitur illud, quod eſt primum, ſit perfectiſſimum, & per ſe, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem ſit unum tantum.*

COROLLARIUM I.

§. 28. *Ergo Mundus ejuſque ordo ab aliquo uno dependet.* Totus enim ab ordine concideret, niſi ab aliqua mente atque conſilio regeretur, & in ſuos fines conſtanti lege dirigeretur.

(a) I. Part. Quaeſt. XI. Art. 3.

Corollarium II.

§. 29. *Ergo Mundus a ſe nequit exiſtere*. Quum enim quod non per ſuam eſſentiam, ſed ab alio exiſtit a ſe exiſtens recte dici nequeat (Part. I. §. 122.), hinc &c.

Corollarium III.

§. 30. *Ergo Mundus non exiſtit naturae ſuae neceſſitate*. Enimvero illud ſolum neceſſarium exiſtentiae vocari debet, quod exiſtentiae ſuae cauſas haudquaquam agnoſcit, nec habere poteſt. (Part. I. §. 98.)

Corollarium IV.

§. 31. *Ergo Mundus ejuſque ordinatiſſima in omnibus ſuis partibus gubernatio, contingenter exiſtit*. Etenim exiſtit contingenter, quod per ſuam eſſentiam ab exiſtentia indiſtinctam non exiſtit (Part. I. §. 131.)

Corollarium V.

§. 32. *Ergo Mundus non eſt aeternus*. Quum enim ab alio pendeat (§. 28.) exiſtentiae proinde ſuae cauſas agnoſcit: Ergo principium habuit a quo eſſe caeperit.

Scholion.

§. 33. Diſputari a nonnullis conſuevit, quemadmodum a veteribus etiam Philoſophis certatum magno ſtudio hac in re fuit;

num

num Mundus, etſi aeternus & a ſe eſſe nequiverit, coaeternus ſaltem exiſtere nihilominus potuerit, aut ita fuerit reipſa cum ſuo Conditore, quin ipſi aliquid detraheret, aut de perfectionibus imminueret. Ac re quidem vera impia eorum habenda eſt ſententia, qui ita mundum, ſive materiam Deo coaeternam eſſe docent, atque ineptis confirmare ſtudent ratiunculis, ut abſque ullo principio, & a ſe fuiſſe ſemper teſtentur; quemadmodum hujuſce ſententiae Ariſtoteles inſignis fuiſſe Patronus facile conjici poteſt ex pluribus quae Clar. Antonius Genuenſis accurate recenſet ab ipſo Ariſtotele editis argumentis (a). Caeterum materiam ſive Mundum Deo coaeternum fuiſſe; dummodo a Deo creatus atque ex nihilo factus aeque conſtituatur, non repugnare non ſolum rectae rationi ac Philoſophiae autumamus, verum etiam oſtendere facile poſſumus, Viros doctos atque eruditos quum veteres, tum recentes in eandem ſententiam fuiſſe, proclives. Ex nihilo a Deo Mundum ſibi coaevum fuiſſe creatum, juxta Platonem, Scribit Clemens

Ale-

(a) Element. Metaphyſ. Part. III.

Alexandrinus (a): Idem Marſilius Ficinus ſenſiſſe videtur. Aperte idipſum tueri aggreſſus eſt tum Livius Galantes (b), tum Cudworthus (c), tum etiam Huetius (d). Horum ergo tantorum Virorum ſententiam mihi quoque luberet amplecti, niſi plurium Doctorum Geneſeos initium celebre illud = *In Principio creavit Deus Caelum & terram* = interpretantium conſenſus ad temporaneam a ſex ferme annorum, ad noſtra uſque tempora, millibus creationem referendum eſſe contenderet.

HYPOTHESIS VII.

§. 34. *Tanquam extra dubitationem omnem poſitum arbitror, illud unum, in quo eorum omnium, quae in Mundo fiunt atque contingunt, ratio ſufficiens inveniatur, aeternum eſſe atque immutabile poſtulari.*

SCHOLION.

§. 35. Tametſi ex iis, quae huc uſque ſancivimus, atque ex paucis aliis adjectis notionibus ſtatuta mox hypotheſis evidenter

(a) Stromat. Lib. V. Cap. XIV.
(b) In Comparat. Theol. Chriſt. & Platonicae Lib. IX.
(c) In ſyſtem. Intelleſt. Cap. V. Sect. II. §. 14.
(d) In Alnet. Lib. II. Cap. V.

ter a nobis oſtendi poſſet; nihilominus, ne propoſitum methodi ordinem invertamus, neque illa anteferri patiamur, quae clariori deinde argumentatione exponenda conſequuntur, id praeſtare abſtinemus, ac ſub Hypotheſis ſolum forma lubet exponere. Antequam vero ad Theoremata accedamus ſit

L E M M A.

Mundana omnia quum contingentia ſint, nequeunt in tota eorum collectione ſpectari, quin aliquod eorum Principium ſive cauſa, quae a ſe & neceſſario exiſtat, admittatur, a quo res ſuum eſſe habere coeperint.

§. 36. *Demonſtratio:* Aut omnium contingentium collectio a ſe eſt, vel ab alio: Atqui quaecunque exiſtunt contingenter in mundo, & a ſe eſſe nequeunt (§. 29. §. 31.): Ergo &c.

Prob. maj. Si extra collectionem omnium contingentium nullum haberetur ens, quod non a ſe, neque ab alio fuiſſet, collectio omnium contingentium a nihilo eſſet, & tanquam ab efficiente cauſa haberet ut exiſteret: Atqui hoc repugnat, & tanquam falſum conſtitutum a nobis fuit (Part. I. §. 281.): Ergo &c.

Corollarium I.

§. 37. *Igitur ens aliquod admittendum eſt, quod non ab alio ſit.* Niſi enim hoc, quod neceſſario, & a ſe eſt admittamus, intra omnium contingentium collectionem contineretur; & ſic iterum inſtaurari poſſet paulo ante expoſitum argumentum uſque in infinitum.

Corollarium II.

§. 38. *Ergo principium, ſive ens illud, quod caeterorum entium contingentiae conſtituitur cauſa, intra collectionem contingentium contineri nequit:* Eſſet enim neceſſario, & a ſe, ut ſupponitur; non eſſet vero, ſi intra contingentium numerum haberetur.

Propositio III.

Mundi hujus adſpectabilis exiſtentia, Deum quoque tanquam aliquid ab eo plane diverſum exiſtere demonſtrat.

§. 39. *Demonſtratio I.* Mundi hujus exiſtentia ejuſque ordinatiſſima harmonia contingens eſt (§. 31.) Atqui mundana omnia nequeunt in tota eorum collectione ſpectari, quin aliquod eorum Principium quod a ſe & neceſſario exiſtat, admittatur (§. 36.): Ergo &c.

Demonſtratio II. Mundus ejuſque ordo in ſui exiſtentia ab aliquo uno dependet (§. 28.) Atqui hoc unum Deus eſt: Ergo &c.

Prob. min. Hoc unum Ens omnium perfectiſſimum, a ſe & neceſſario exiſtens, atque independens eſſe debet: Atqui haec nonniſi Deo conveniunt (§. 5.): Ergo &c.

Prob. maj. Niſi enim hoc unum Ens omnium eſſet perfectiſſimum, a ſe & neceſſario exiſtens, atque independens, intra omnium contingentium collectionem contineretur: Atqui hoc repugnare dictum fuit (§. 38.): Ergo &c.

Demonſtratio III. Mundi exiſtentia, quae ab alio eſt, diverſa plane eſſe debet ab ejus Entis exiſtentia, quod a ſe eſt: Atqui ita Mundus hic adſpectabilis exiſtit, ut aeternus non eſſe ſed aliquando caepiſſe videatur (§. 18.) ut mutabilem, in infinitum modificabilem, tum ad motum & ad quietem indifferentem eſſe prorſus affirmare debeamus (§. 19.) Ita praeterea idem exiſtit, ut non fortuito, ſed conſilio, arte, ſapientia fuiſſe conſtructum, atque etiamnum in eodem mirabili ordine conſer-

vari

vari a ſuprema aliqua vi fateri compellamur (§. 20.) Ergo &c.

Demonſtratio IV. Illud unum, cujus mens eorum omnium, quae in Mundo fiunt atque contingunt, ratio ſufficiens eſt, aeternum eſſe atque immutabile poſtulatur (§. 34.) Atqui Mundus ſive materia in infinitum modificabilis eſt (§. 19.) ejuſque vires tum intenſitate finitae ſunt, tum uſu & attritu veluti quodam conſumuntur (§. 22.) Ergo ita exiſtit Mundus, ut Deum quoque tanquam aliquid ab eo plane diverſum exiſtere demonſtret.

Demonſtratio V. Mundus ejuſque ordo ab aliquo uno dependet (§. 28.) & a ſe nequit exiſtere (§. 29.) neque naturae ſuae neceſſitate (§. 30.) Idem praeterea ejuſque ordinatiſſima in omnibus ſuis partibus gubernatio contingenter exiſtit (§. 31.) neque aeternus eſſe poteſt (§. 32.) Ergo Deus ab omnibus eſt independens & a ſe exiſtit, ac proinde naturae ſuae neceſſitate &c. Ergo Mundi hujus adſpectabilis exiſtentia &c.

Demonſtratio VI. Soritica methodo: Mundus mutabilis eſt atque in infinitum modifica-

dificabilis eſt (§. 19.) Qui ita eſt, ejus vires finitae ſunt, atque uſu & attritu veluti quodam conſumuntur (§. 22.) Qui hiſce concluditur finibus, atque ita conſumitur, ab alio quoque indiget reparari perpetuo (§. 23.) Qui reparationis aſſiduae indigus eſt, non fortuito ſed conſilio, arte, & ſapientia, quemadmodum conſtructus eſt, ita eodem conſilio indiget reparari (§. 20.) Qui ita conſervari debet, mira quoque inſtructus eſt rerum ſerie, quarum aliae aliis nexae mutuis officiis ita inter ſe ſunt, ut conſtanti lege a ratione aliqua movente impelli debere credantur (§. 24.) Qui ita dirigitur & optime gubernatur ab una tantum mente regitur (§. 26.) Qui ita regitur, ab uno dependet (§. 28.) Qui ita dependet a ſe nequit exiſtere (§. 29.) neque naturae ſuae neceſſitate (§. 30.) ſed contingenter (§. 31.) Qui contingens eſt, aeternus eſſe nequit, atque exiſtentiae ſuae cauſas debet agnoſcere (§. 32.) Qui exiſtentiae ſuae Principium agnoſcit, illud aeternum & immutabile eſſe poſtulat (§. 34.) Qui aeternum & immutabile exiſtentiae ſuae habet

Prin-

Principium, intra contingentium collectionem illud ipſum prohibet contineri, & ſui cauſam a ſe & neceſſario exiſtentem ſpectat (§. 38.) Ergo Mundi hujus adſpectabilis exiſtentia Deum quoque, tanquam aliquid ab eo plane diverſum exiſtere demonſtrat.

Corollarium I.

§. 40. *Ergo Deus exiſtens nullius rei indigus eſt*. Qui enim a ſe & neceſſario exiſtit, cujus eſſentia tota eſt exiſtentiae ſuae omniumque, quae in hoc Mundo ſunt ratio, Cauſa, ſive Principium: Qui praeterea intra contingentium collectionem contineri nequit, nec ab ullo dependens in ſui exiſtentia invenitur; qui demum omnium perfectiſſimum Ens, ſive abſolutiſſimum eſt in omni linea, nullius rei indigere certe debet.

Corollarium II.

§. 41. *Ergo Deus univerſi totius ejuſque ordinis effectrix cauſa & Rector nuncupari debet*. Porro quum Mundus & quidquid in ipſo ſapientiſſime adminiſtratur ab alio ſit (§. 28.), quod a ſe & neceſſario exiſtat (§. 5.), quod contingentium omnium ſit

cauſa

cauſa (§. 36.) hoc nonniſi Deo Creatori attribuendum eſt.

COROLLARIUM III.

§. 42. *Ergo Deus ab univerſo ipſo diſtinctus eſt*. Quod enim, ut diximus (Part. I. §. 123.) exiſtit vel a ſe, vel ab alio, diſtinctionem inter utrumque poſtulat.

COROLLARIUM IV.

§. 43. *Ergo turpiſſime deceptus eſt Benedictus Spinoza, qui ut unam tantum ſubſtantiam in hoc Mundo eſſe autumavit, ita nullum Deum inter & ipſam diſcrimen ſtatuit.*

COROLLARIUM V.

§. 44. *Ergo Deus univerſi totius cauſſa eſt, ſumma intelligentia praedita:* Tanta namque ordinis harmonia non conſiſteret Mundus, niſi ab aliqua ſuprema ratione regeretur.

COROLLARIUM VI.

§. 45. *Ergo Deus ſpiritus eſt, & cujuſque compoſitionis expers.* Nulli enim ſubſtantiae ratio & intelligentia competere poteſt, quae ſpiritalis non ſit.

COROLLARIUM VII.

§. 46. *Ergo Deus ſimpliciſſimus eſt*. Porro illa tantum Deo ſimplicitas & a qua-

vis compoſitione longinquitas eſt tribuenda, quam omnium Ens perfectiſſimum decet habere.

Corollarium VIII.

§. 47. *Ergo Deus incorporeus plane eſt;* ideoque Antropomorphitae damnandi ſunt omnes, qui Deum corporeum eſſe dixerunt.

Corollarium IX.

§. 48. *Ergo Deus aeternus eſt.* Quod enim a ſe eſt, nec ab ullo dependet (§. 5.) ita exiſtit, ut nunquam habuerit exiſtentiae principium, neque proinde finem ſit habiturus.

Corollarium X.

§. 49. *Ergo Deus immenſus eſt.* Qui enim aeternus eſt, atque immutabilis (§. 34.), nullo poteſt loco, ac tempore circumſcribi.

Scholion.

§. 50. Non tempore ſolum, ac loco Deum circumſcribi repugnat, quemadmodum Divinae aeternitatis, atque immutabilitatis rationes poſtulant; verum etiam nihil Deum latere poteſt, nihil etiam ejus omnipotentiae adverſari. Merito propterea univerſi Theologi ubique Deum praeſentem

per

per *ſcientiam*, *potentiam*, atque *eſſentiam* docuere, eo quia in totius univerſi ſuprema gubernatione per *ſcientiam* ubique adeſſe dicatur, quum eorum, quae contingunt nihil lateat; per *potentiam* quatenus ubique locorum operari atque omnipotentiam ſuam prodere valet; ac demum per *eſſentiam* univerſa implere praedicatur, quatenus nullus eſt locus, in quo ipſa Dei ſubſtantia non exiſtat. Attamen non ita putandum eſt, triplici hac ratione omnia Deum implere corporum more; quemadmodum rudiores Judaei S. Hilario teſte (a) perperam ſenſiſſe leguntur; aut quemadmodum Manichaei, ſi S. Auguſtino credimus (b), ſtulte exiſtimaſſe referuntur: Deus eſt enim ſimpliciſſimus (§. 46.) ſpiritus (§. 45.) incorporeus (§. 47.) Itaque, cum Auguſtino ipſo (c) rite de Dei immenſitate cogitantes ut concludamus; *ſic eſt Deus per cuncta diffuſus, ut non ſit qualitas Mundi, ſed ſubſtantia creatrix Mundi, ſine labore regens, & ſine onere continens Mundum; non*

(a) Lib. II. De Trinitate.
(b) Lib. I Contra Epiſt. Fundamenti num. 25. alias Cap. XXIII.
(c) Epiſt. CLXXXVII. num. 14. alias LVII.

non tamen per ſpatia locorum, quaſi mole diffuſa; ita ut in dimidio Mundi corpore ſit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, ſed in ſolo caelo totus, & in ſola terra totus, & in caelo, & in terra totus, & nullo contentus loco, ſed in ſeipſo ubique totus.

PROPOSITIO IV.

Unus tantum Deus univerſi Conditor exiſtit.

§. 51. *Demonſtratio I.* Contingentia omnia ſpectari nequeunt, quin principium aliquod a ſe & neceſſario exiſtens admittatur (§. 36.) quod Deus ſit (§. 41.) Atqui Principium hujuſmodi nequit exiſtere, quin unum tantum ipſum ſit: Ergo &c.

Prob. min. Mundi gubernatio & ordo ab uno tantum Principio proficiſci dicendae ſunt (§. 26.) Ergo plures cauſae rebus nequeunt mundanis conſulere: Ergo &c.

Prob. I. conſeq. Si plures eſſent Dii, qui rebus creatis proſpicerent, vel eorum unus impediri ab altero poſſet, ne in Mundi regimine id quod ſibi arrideret, perficeret; vel non poſſet: Si poſſet; ergo illorum nullus eſſet Deus, utpote nullus in actionibus

nibus ſuis liber ac plane independens: Si non poſſet; ergo nullus itidem eſſet, cui Dei nomen jure conveniret: Ergo &c.

COROLLARIUM.

§. 52. *Ergo unus tantum eſt Deus Omnipotens*. Quomodo enim cenſeri unus ille Deus poteſt, qui non tantae eſt poteſtatis, qui impediri ab altero poteſt, quin omne quod vult libere queat peragere?

Demonſtratio II. Vel unus ſufficit Deus, ut exiſtat Mundus, quaeque in illo ſunt, ut ordinate regantur; vel pluribus eſt opus. Si unus ſufficere dicatur: Igitur unus tantum reipſa eſt, ne aliquid fruſtra aut caſu extare dicatur: Si non ſatis eſt unus; ergo nullus eorum eſt Deus, utpote nullus in omni linea ſumme perfectus: Ergo &c.

COROLLARIUM I.

§. 53. *Ergo qui Polytheiſmum, Deorum ſcilicet pluralitatem, profitentur aut docent, Deum nullum admittunt. Deos* ſiquidem, ut S. Athanaſius animadvertit *eſſe multos, perinde eſt ac nullus dicere* (a).

(a) Lib. Cont. Gentiles.

COROLLARIUM II.

§. 54. *Ergo Deus naturae ſuae neceſſitate unus eſſe debet*. Quum enim Deus omnium ſit Ens perfectiſſimum (§. 5.) atque a ſe & neceſſario habeat, ut tale exiſtat (§. 14.), haudquaquam eſſet hujuſmodi, niſi perinde eſſet unus.

COROLLARIUM III.

§. 55. *Ergo Deus naturae ſuae neceſſitate non patitur aliquem in divinitate conſortem aequalem habere*. Enimvero ſi haberet aequalem, ipſi univerſas alterius perfectiones deficerent; neque proinde perfectiſſimus eſſet in omni linea. Perbelle ad rem noſtram S. Thomas (a) *Oſtenſum eſt*, inquit, *quod Deus comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi. Si ergo eſſent plures Dii, oporteret eos differre: Aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri; & ſic ille in quo eſſet privatio, non eſſet ſimpliciter perfectus. Si autem hoc eſſet, perfectio alteri eorum deeſſet. Impoſſibile eſt ergo, eſſe plures Deos.*

SCHO-

(a) I. Part. Quaeſt. XI. Art. III.

SCHOLION.

§. 56. Quemadmodum argumentis philologicis Dei exiſtentiam in lucem proferre ſuperius (§. 16.) aliquatenus ſtuduimus; ita modo iiſdem praeſidiis atque eruditionibus de ejuſdem ſupremi Numinis Unitate uberrime, ſi loci paterentur anguſtiae, diſſerere aeque poſſemus: Communi nimirum earum Gentium, eorumque Philoſophorum, & Poetarum veterum conſenſu, qui quamvis in magna plurium Numinum opinione atque Religione manere praeſeferrent, Unicum tamen omniumque eminentiſſimum perpetuo agnovere. Id ex inſtituto magnoque doctrinae lumine exhibuiſſe videntur Lactantius (a) Huetius (b) Petavius (c) Minucius Felix (d) Cudworthus (e), aliique praeſtantiſſimi quum veteſti, tum recentes Scriptores; a quibus etiam referendis, ne nimius videar, lubet abſtinere. Itaque quiſquis Homerum, Heſiodum, Euripidem, Virgilium, Platonem,

I 4 Ari-

(a) Lib. I. Divin. Inſtitut. Cap. VI.
(b) Quaeſtion. Alnetan. Lib. XI. Cap. II. § 13.
(c) Tom. I. Theol. Dogmat. Cap. III.
(d) In Octavio.
(e) Syſtemat. Intellect. Cap. IV.

Ariſtotelem, Tullium, Senecam, Plutarchum, alioſque Ethnicos Scriptores perlegerit, is ſane perſpiciet dubio procul, illis Deum Principem ac Patrem omnium unicum fuiſſe ſtatutum, cui reliqui minores alii veluti Dii famularentur. Hiſtoriae fama eſt conſtans atque extra omnem controverſiam poſita, tantam fuiſſe Deorum Dearumque turbam, quam veteres ritu & caeremoniis variis proſequebantur, ut Heſiodus ipſe triginta millia Deorum commemoraverit, quos ſua aetate vulgus venerabatur. Attamen non minus compertum modo apud eruditos Philoſophos eſſe arbitror, Ethnicos omnes (ſi plebeculam fortaſſe excipiamus) in ea fuiſſe ſententia, qua ſub diverſis Deorum appellationibus unicum ſemper Deum ejuſdem naturae atque perfectionis intelligerent, quem tamen ſub diverſis muneribus operantem multiplici illa Numinum nomenclatura ſpectarent. *Quoties voles* (verba ſunt Senecae (a)) *tibi licet aliter hunc Auctorem rerum noſtrarum compellare. Tot appellationes ejus eſſe poſſunt, quot munera. Hunc & liberum Patrem,*

(a) Lib. IV. De Benef. Cap. VII.

trem, *&* *Herculem*, *&* *Mercurium noſtri putant* .... *Omnia ejuſdem Dei nomina ſunt varie utentis ſua poteſtate*. Qua de re conſulere etiam fas erit Gerardum Voſſium (a) Coelium Rhodiginum (b) Marſilium Ficinum (c), Athenagoram (d), Euſebium (e), alioſque plures in eandem modo traditam opinionem nobiſcum conſentientes; veteres omnes nimirum Deos pene infinitos (quos populares & ad vulgi captum accomodatos recte dicere poſſis) agnoviſſe utique, eoſdemque reipſa fuiſſe veneratos; naturalem vero Deum unum duntaxat conſtanter docuiſſe. Cur vero Philoſophi tantam pro unius & veri Dei ſubſtantia explicanda loquutionum congeriem quodammodo adhibuerint, ſatis ex Platonis teſtimonio innuere videtur ſupra commemoratus Minucius Felix (f) quod videlicet Deum *invenire difficile prae nimia & incredibili poteſtate; & quum inveneris, in publicum dicere*

(a) In Theolog. Gentilium.
(b) Lib. XXII. Lect. Antiq. Cap. III.
(c) Praefat. In Cratylum Platonis.
(d) In Apolog. pro Chriſtianis.
(e) Lib. XI. De Praeparatione Evang. Cap. III.
(f) In Octavio.

dicere impoſſibile: Caeterum, poſt pauca ſubdit; *& Deum novimus, & Parentem omnium dicimus, & nunquam publice, niſi interrogati, praedicamus.* Hanc demum Philoſophorum veterum fuiſſe conſuetudinem, nec unquam Unius Dei voce uſos fuiſſe, niſi quum forte ipſis Polytheiſmus vitio verteretur ab indoctis, Paulus Oroſius teſtis locupletiſſimus eſt (a).

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT II.

De praecipuis atque notioribus Dei attributis.

NEmo ex me quaerere jure poſſe confido, ut univerſa ſingillatim Dei attributa velim demonſtrando exponere. Tanta enim, & tam ineffabilis eorum copia occurrit, ut quamvis plura Co-

(a) Lib. VI. Hiſt. Cap. I.

Digitized by Google

Corollariorum ope ſuperius recenſere quodammodo ſtuduerimus, ea tamen, quae ſunt reliqua, uberiora certe ſunt, ac, ſi ita loqui fas eſt, etiam majora. De hiſce igitur, quae praecipua habentur atque notiora, agendum modo nobis erit, ut ſaltem intra breves Theologiae naturalis Inſtitutiones quod potius eſt attingentes, accuratiorem hujuſce rei Theologis indaginem relinquamus. Porro inter plura, quae Enti ſupremo attribui neceſſario debent, eminent Scientia, atque Voluntas; quorum etiam demonſtratione ad ſequiora facilius oſtendenda viam ſterni poſſe conſpicio. Ita vero de hiſce duobus mihi agendum eſſe propono, ut tamen quae divina ſit voluntas primum, deinde quid ſcientia Dei ſit paucis ex more ſim dicturus; ac demum de Dei ipſius bonitate atque beneficentia brevius agentes, totum facile Caput abſolvemus.

SE-

SECTIO I.

De voluntate Dei.

USitatus differendi ordo in ſpeciem poſtulare a nobis videretur (quemadmodum etiam quum de humanae mentis viribus ſuperius actum fuit praeſtitiſſe non ignoro) ut de Scientia Dei prius, quam de ejuſdem Voluntate tractaremus. At vero quum divina aggredimur explananda, eorum eſſe naturam continuo cernimus a rerum humanarum indole adeo ſejunctam, atque ab hiſce notis uſitatiſque naturis ita diſcrepantem, ut periculum aliquando ſit a vero penitus aberrare, atque in indignas Divinitate ſententias prolabi, ſi forte humano more cogitare poſſe putemus. Quum nos igitur praecipuas Scientiae, Voluntatiſque divinae haſce praerogativas prae oculis exhibendas habeamus, ab eo primum exordiri neceſſe eſt, a quo, juxta rectam argumentandi methodum, alterius ratio peti valeat. Quid itaque praemittendum noſtris hac ſuper re Propoſitionibus occurrat, videamus.

DEFINITIO I.

§. 57. Dei voluntas nobis illa eſt ratio, in Deo ipſo ab aeternitate manens, qua ſeipſum & univerſa a ſe facta atque facienda diligit.

COROLLARIUM I.

§. 58. *Ergo voluntatis divinae objectum Deus ipſe eſt.* Quum enim Deus ſimpliciſſimus ſit, ac totius compoſitionis expers (§. 46.) nulla proinde in ipſo ratio inveniri poteſt, quae unum idemque cum Deo ipſo non ſit.

COROLLARIUM II.

§. 59. *Ergo Deus nonniſi ſeipſum voluntate ſua diligit.* Illud enim diligitur, quod eſt voluntatis objectum.

COROLLARIUM III.

§. 60. *Ergo Deus non movetur ad ſe diligendum, niſi a ſufficientiſſima ſui ipſius ratione.* Quum enim nulla in anima conſurgat volitio abſque ratione ſufficienti; nihil nimirum appetat abſque motivo (Part. II. §. 250.); nec determinare ſe nequeat ad expetenda bona, niſi menti ſub ratione objectiva bonorum ea ipſa offerantur (Ibid. §. 254.); jure idcirco nonniſi a bonitatis

nitatis ſuae motivo, & objecto ad amorem determinari erga ſeipſum valet.

COROLLARIUM IV.

§. 61. *Ergo Deus ab aeternitate, & neceſſario ſeipſum diligit.* Deus namque Ens a ſe eſt (§. 5.) aeternum (§. 48.) ac neceſſarium (§. 14.)

COROLLARIUM V.

§. 62. *Ergo Dei voluntas a ſeipſo diſtingui nullo pacto valet, neque ab ipſius attributis diſtincta una ratione concipi poteſt.* Quum enim nulla ratio in Deo inveniri valeat, quae Deus ipſe non ſit (§. 58.), hinc ratio, cur indiſtincta in Deo omnia ſint, peti debet.

COROLLARIUM VI.

§. 63. *Ergo Deus quum diligit creaturas, ſeipſum diligit.* Nulla enim ratio in Deo inveniri poteſt, quae Deus ipſe non ſit (§. 58.)

COROLLARIUM VII.

§. 64. *Ergo quum Deus ſeipſum amat, alia etiam a ſe infinite diverſa diligit.* Amat enim creaturas ſeipſum diligendo (§. 63.)

Co-

COROLLARIUM VIII.

§. 65. *Sive ergo ſemetipſum, ſive creata amore proſequatur Deus, voluntatis ſuae totam ſufficientem habet in ſemetipſo rationem.*

SCHOLION.

§. 66. Deum alia a ſe diligere, quidquid nimirum ipſe non eſt, univerſum hoc adſpectabile, & quidquid boni, pulcherrimi, ſapienterque conſtructi in eo conſpicitur, caeteraſque demum inviſibiles creaturas, tam explorata, & firma penes ſobrios quoſque Metaphyſicos perſuaſio manet, ut ſupervacaneum prorſus eſſe hic exiſtimem rem pluribus aut adſtruere, aut confirmare. Satis quippe fore tantum arbitrabor ſi Sancti Thomae luculenta a me exſcribatur Doctrina (a): *Dicendum* (ſic ille) *quod Deus non ſolum ſe vult, ſed etiam alia a ſe.... Res enim naturalis non ſolum habet naturalem inclinationem reſpectu proprii boni, ut acquirat ipſum, quum non habet, vel ut quieſcat in illo, quum habet; ſed etiam ut proprium bonum in alia diffundat, ſecundum quod poſſibile eſt. Unde videmus, quod omne*

(a) I. Part. Quaeſt. XIX. Art. 2.

omne agens in quantum eſt actu, & perfectum, facit ſibi ſimile. Unde, & hoc pertinet ad rationem voluntatis; ut bonum, quod quis habet, aliis communicet ſecundum quod poſſibile eſt, & hoc praecipue pertinet ad voluntatem divinam, a qua per quandam ſimilitudinem derivatur omnis perfectio. Unde ſi res naturales in quantum perfectae ſunt, ſuum bonum aliis communicant, multo magis pertinet ad voluntatem divinam, ut bonum ſuum aliis, per ſimilitudinem communicet, ſecundum quod poſſibile eſt: Sic igitur vult, & ſe eſſe, & alia. Sed ſe ut finem; alia vero ut ad finem; in quantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipſam participare.

Corollarium IX.

§. 67. *Ergo quum Deus alia a ſe diligit nequit ea velle quae ſuis adverſentur attributis.* Deus eſt enim ſimpliciſſimum Ens (§. 46.) atque immutabile (§. 34.) Ergo voluntate ſua ea nequit velle, quae infinitam ejus perfectionem immutare, aut deſtruere valerent.

Co-

Corollarium X.

§. *68. Ergo ſpectato hujuſce mundi ordine, & harmonia* (§. 24.) *aliud univerſum ab eo, quod melius, ac perfectius ſit diligi non poteſt*. Tanta enim, tamque mirifica ſupremi unius mundi moderatoris ſapientia, & divina plane ratio in hoc gubernando elucet (§. 20.) ut nonniſi a Deo ipſo regi, atque in ſuos fines referri dicendus ſit.

Scholion.

§. *69*. Ne forte hallucinatio aliqua ex hoc extremo Corollario emergere valeat, & apud nonnullos in ſuſpicionem me adduci contingat; quaſi mundum hunc ita eſſe optimum cenſuerim, quin perfectior alter, atque ita hoc altero melior, uſque in infinitum ab infinita aeque Dei potentia prodire, ſive creari valeat, neceſſum idcirco fore ſum ratus duo perfectionum genera ob oculos legentium exponere, quarum prior ea eſt, quae ab ordine, a finibus, atque officiis, quae ab univerſis ejuſdem mundi partibus mirum in modum inter ſe conſentientibus deſumi ab unoquoque valet: Altera vero perfectio a nume-

ro, atque a realibus, ut ajunt, proprietatibus univerſi hujus expendi a Philoſophis ſolet. Nos itaque quum aliud Univerſum hoc perfectius Deum velle non poſſe dixerimus, juxta priorem explanationem id accipiendum eſſe contendimus; eo quia quum mundus nonniſi a Dei ſapientia in ſuos dirigatur fines, illa profecto melior excogitari non poteſt. Caeterum ſi juxta alteram exhibitam *perfecti* explicationem Univerſum ſpectare velimus, nullus ſane pius, atque cordatus Philoſophus erit, meo judicio, futurus, qui Deum Mundum velle poſſe hoc noſtro perfectiorem, magiſque abſolutum, atque uſque in infinitum magis, magiſque exornatum, & inſtructum valeat inficiari: Ea quippe rerum finitarum eſt natura, ut ſemper, ſemperque numero, qualitatibus, proprietatibus, eorumque intenſione augeri poſſint.

COROLLARIUM XI.

§. 70. *Ergo Dei voluntas in ea, quae impoſſibilia ſunt metaphyſice, ſive, quae contradictionem in ſeipſis explicant ferri non poteſt:* Quae enim ſunt hujuſmodi non entia recte dicenda ſunt (Part. I. §. 11.) in

in quibus nihil veri, nihilque perfecti excogitari animo valet.

COROLLARIUM XII.

§. 71. *Ergo Deus voluntate ſua nonniſi in bonum ferri poteſt.* Quum enim impoſſibilia velle nequeat (§. 70.) conſequitur nonniſi poſſibilia, & bona ab ipſo diligi.

COROLLARIUM XIII.

§. 72. *Ergo Deus vult bonitatem ſuam:* Deus quippe a ſua voluntate non diſtinguitur (§. 62.) ipſe vero Ens omnium eſt perfectiſſimum (§. 5.): Ergo ſemetipſum, tanquam Optimum diligit.

DEFINITIO II.

§. 73. Divina voluntas, quae libera eſt, ea appellari debet, qua ipſe Deus, tanquam ſuarum operationum Dominus, nonnulla agenda, aut non agenda decernit.

COROLLARIUM.

§. 74. Ergo libera Dei voluntas *a coactione* atque *neceſſitate* immunis eſſe debet omnino: Haec namque duo libertati adverſantur (Part. II. §. 239.)

SCHOLION.

§. 75. Deum libertate gaudere firmiſſima atque explorata omnium SS. Patrum

atque Theologorum ſententia eſt, quae idcirco ut magis demonſtrationibus fulciatur atque confirmetur opus eſſe haudquaquam videtur. Inter caeteros SS. Eccleſiae Doctoribus, qui eidem Theologico Theoremati ſuffragati ſunt, eminet praecipue luculentis verbis S. Bernardus (a) *Libertas a neceſſitate aeque & indifferenter Deo, univerſaeque tam malae, quam bonae rationali convenit creaturae.* Qua etiam de re conſuli pro lubito poterit S. Baſilius (b), S. Ambroſius (c), nec non D. Hieronymus (d).

DEFINITIO III.

§. 76. Voluntas Dei libera, quae *antecedens* dicitur, ea rite definiri poteſt, quae ad creaturarum bonum in ſe ſpectatum fertur, eoque delectatur.

SCHOLION.

§. 77. Tametſi plura occurrant inter varios ſcholarum ſectatores Theologos, quae circa hujus voluntatis notionem non ſatis inter ſe conſentiant; attamen conſultius in praeſentiarum eſſe arbitror, omiſſis penitus

(a) De Gratia & Libero Arbitrio.
(b) Homil. I. In Hexam.
(c) In Hexam. Lib. I. Cap. V.
(d) In Epiſt. ad Philem.

tus eorum diſſidiis Sanctorum dicta pro eadem voluntatis antecedentis definitione inluſtranda uſurpare; ſi tamen prius ſit alterius voluntatis quae ſequitur

DEFINITIO IV.

§. 78. Libera Dei voluntas, quae *conſequens* vulgo dicitur, illa eſt, quae non bonum ſolum creaturarum reſpicit, verum etiam, quae ejuſdem boni executionem, applicationemque efficaci imperio decernit.

SCHOLION.

§. 79. Utriuſque voluntatis jam definitae diſcrimen tradit Damaſcenus, his verbis: *Voluntas antecedens eſt, quod quis a ſeipſo vult. Conſequens, quod ex eorum quae fiunt cauſſa proficiſcitur. Nam praecedente voluntate vult Deus omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire: verum nobis peccantibus vult nos caſtigari prout conducit* (a). Hiſce ergo de Divina voluntate delibatis, ad alia, quae magis ad rem noſtram ſunt neceſſaria, operae praetium eſt, ut tranſeamus, quorum primum ſit

 HYPO-

(a) Lib. II. de fide Orthodox. Cap. XXIX.

HYPOTHESIS I.

§. 80. *Tanquam indubitatum inpraeſens eſſe putamus, Deum creaturas ſuas diligere propter ſui ipſius bonitatem:* Ipſe nimirum creaturas condidit univerſas libera voluntate; ita tamen ut ratio ſeu motivum cur condere eas voluerit non alia, quam ſuamet bonitas fuerit.

SCHOLION.

§. 81. Id tanquam certiſſimum ex omnibus hac in re conſentientibus Theologis conſtituo, atque ad majorem hujus adſerti veritatem illud etiam huc adcedere lubet, quod de Divina ſapientia celebre illud afferri ſolet: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus* (a).

COROLLARIUM I.

§. 82. *Ergo Deus, quum creaturas diligit, illis exiſtentiam, aliaque bona tribuendo, non ipſe earum bonitate aliqua, quae iis inſit ad amorem permovetur; verum earum diligendarum in ſemetipſo totam contemplatur rationem:* Neque enim propter illas, ſed propter ſemetipſum creationem habere, & operari decernit (§. 80.).

Co-

(a) Proverbior. Cap. XVI. v. 4.

Corollarium II.

§. 83. *Ergo quum Deus alia a ſe; creata videlicet cuncta; diligit, non illa reſpicit tanquam dilectionis ſuae finem.* Enimvero divinae voluntatis objectum, ſive ratio illa, quae divinarum operationum finis inſtar ſe habet, non alia, niſi divina bonitas excogitari valet (§. 58.)

Corollarium III.

§. 84. *Ergo Deus voluntate ſua creaturas ita diligit, ut ad ſemetipſum veluti ad finem referantur.*

Scholion.

§. 85. S. Thomae inſignis locus occurrit, ex quo tota hactenus tradita doctrina eruitur (a): *In iis, quae volumus; ſic ipſe docet; propter finem, tota ratio movendi eſt finis; & hoc maxime apparet in iis, quae volumus tantum propter finem.* Paucisque interpoſitis addit: *Unde quum Deus alia a ſe non velit, niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, niſi bonitas ſua.*

(a) I. Part. Quaeſt. XIX. Art. 2.

Hypotheſis II.

§. 86. *Tanquam ratiſſimum hoc alterum perinde ſtatuo; Deum ſcilicet non affectivo amore, ſed effectiva voluntatis ſuae dilectione creata cuncta proſequi:* Ipſe videlicet tunc Creaturas amare recte dicitur, quum aliquid ipſis boni dignatur impertiri, quo illae antea carebant.

Scholion.

§. 87. Non ab unanimi Theologorum conſenſu tantum petitur modo, quod Hypotheſis loco ſancitum eſt; verum inſuper omnium Patrum eidem accedit auctoritas. Luculenta admodum illa eſt ex D. Bernardo (a) ſententia, quam ſic profunde paucis profert: *Hoc eſt amare tuum;* inquit idem; *quod tu amas te amantes a dulcedine bonitatis tuae, quam habes ad Creaturam tuam, amator Creator bone, inſpirare eis hoc deſiderium amandi te, & amorem quo amant, & deſiderare te, & amare te: Non enim afficeris ad nos, vel a nobis quum nos amas, ſed eſt quod eſt, qui ſemper idipſum eſt; nos autem a te, ad te, & in te afficimur, quum te amamus.*

Co-

(a) Lib. De Amore Dei Cap. IV.

COROLLARIUM I.

§. 88. *Ergo Deus, quum Creaturas diligit, nullam in ipſis invenit bonitatem, qua ad earum amorem pertrahatur:* Deus namque tunc Creaturas amare recte dicitur, quum aliquid ipſis boni dignatur impertiri, quo illae antea carebant (§. 86.)

COROLLARIUM II.

§. 89. *Ergo quum Deus voluntate ſua Creaturas diligit, ſuam duntaxat bonitatem amat.* Enimvero Deus voluntate ſua ita eas diligit, ut ad ſemetipſum veluti ad finem referantur (§. 84.). Recte propterea S. Bernardus (a) Deum inter & nos amoris diſcrimen quum exhibet, ſic brevi ſententia rem abſolvit: *Amor tuus bonitas tua eſt..... Amas itaque nos in quantum nos efficis tui amatores.... Nos affectu, tu effectu unum nos in te efficiens.*

COROLLARIUM III.

§. 90. *Ergo Deus tunc recte dicendus eſt Creaturas odiſſe, quum nihil boni, quo carent, ipſis elargiri dignatur.*

Co-

(a) In Soliloquiis num. 12.

COROLLARIUM IV.

§. 91. *Ergo Deus libera prorſus voluntate Creaturas amat*. Libertati enim neceſſitas adverſatur (Part. II. §. 239.) At Deus ſeipſum tantum neceſſitate naturae ſuae amat (§. 61.) Ergo quidquid a ſe diſtinctum eſt, libera diligere debet voluntate.

COROLLARIUM V.

§. 92. *Ergo Deus ea gaudet in creaturarum dilectione libertate, quae a neceſſitate contradictionis* appellatur (Ibid. §. 240.) Ita enim pro infinita ejus bonitate ſeipſum diligit neceſſario (§. 61.) ut nullius rei ſit indigus (§. 40.) ut ſibi voluntatis ſuae ſufficientiſſima ratio ſit (§. 60.) ideoque tam ſua erga Creaturas dilectio, quam hujus negatio in ipſius ex aequo habeatur poteſtate.

COROLLARIUM VI.

§. 93. *Ergo Deus ea perinde libertate pollet, quae a neſſitate contrarietatis dicta fuit* (Ibid. §. 243.) Enimvero iiſdem rationibus, quibus tam Creaturas diligere, quam non diligere poſſe mox fuit in propatulo expoſitum; continuo liquet ipſum

Deum rebus a ſe geſtis erga creata omnia, contrarium poſſe praeſtare. Ipſe nimirum Creaturas diligit quum exiſtunt, ac caetera ab eo bona participant, ut tamen ab iiſdem poſſit collata munera auferre atque deſtruere; neque ad ullum contrariorum ſit per ſuam naturam determinatum.

S C H O L I O N.

§. 94. Ex hoc extremo Corollario dilucide apparere ſentio quantum pleriſque Theologis diſplicere poſſit, quod Deo libertatem *a neceſſitate contrarietatis* attribuerim, contra id, quod ab iiſdem communi pene ſuffragio ſtatutum legitur. Attamen eorum pace dictum ſit, hujuſmodi libertatem ita Deo convenire, ut eadem inter perfectiones, *quas ſimpliciter ſimplices* vocant, merito ſit adcenſenda. Neque vero contra hujuſmodi aſſertum urgere poſſe vel minimum illud arbitror, quod de Chriſti operationibus obiici ab illis poteſt: Etenim de Deo nos inpraeſentiarum non loquimur, qui humanae naturae *hypoſtatice*, ut ajunt, conjunctus ſit, verum de ipſo in ſe manente atque ad extra libera voluntate operante, verba facimus.

PRO-

Propositio V.

Per id conſtituitur Dei voluntas, per quod Deus eſt:

§. 95. *Demonſtratio I.* Per id Dei voluntas conſtituenda eſt, per quod ipſa Deum habet objectum: ſed id, per quod Deum habet objectum, Deus ipſe eſt: Ergo &c.

Prob. min. Dei voluntas a ſeipſo diſtingui nullo pacto valet, neque ab ipſius attributis diſtincta ulla ratione concipi poteſt (§. 62.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Deus non movetur ad ſe diligendum, niſi a ſufficientiſſima ſui ipſius ratione (§. 60.): Sed nulla in Deo ratio inveniri poteſt, quae Deus ipſe non ſit (§. 58.) Ergo &c.

Demonſtratio III. Dei voluntas illa eſt ratio in Deo manens ab aeternitate, qua ſeipſum, & univerſa a ſe facta nec non facienda diligit (§. 57.): Atqui haec ratio Deus ipſe eſt: Ergo &c.

Prob. min. Soritica methodo: Deus ſimpliciſſimus eſt, ac totius compoſitionis expers (§. 45.) Qui ita eſt, nonniſi ſeipſum voluntate ſua diligit (§. 59.) nec ad ſe diligendum, niſi a ſufficientiſſima ſui ratione

tione

tione movetur (§. *60.*): Qui ita ſeipſum diligit, ab aeternitate & neceſſario ſeipſum diligit (§. *61.*): Qui ita ſe diligit voluntatis ſuae ſemetipſum habet objectum (§. 58.): Qui voluntatis ſuae ſemetipſum habet objectum, Ens a ſe eſt, (§. *39.*) aeternum (§. 48.) ac neceſſarium (§. 14.) Qui ita a natura ſua eſt, voluntatem, quae a ſe eſt, habere debet, aeternam, ac neceſſariam: Ergo per id conſtituitur Dei voluntas, per quod Deus eſt: Ergo ratio qua Deus ſemetipſum diligit, Deus ipſe eſt.

Corollarium.

§. *96. Ergo illa etiam Dei voluntas, qua diligit Creaturas per id conſtitui perinde debet, per quod Deus eſt.* Etenim quum Deus diligit Creaturas, ſeipſum diligit (§. *63.*). Ipſe praeterea ſive ſemetipſum, ſive creata amore proſequatur, voluntatis ſuae totam ſufficientem habet in ſemetipſo rationem (§. *65.*).

Propositio VI.

Dei voluntas nulla vi ad diligendum cogi poteſt.

§. *97. Demonſtratio:* Aut enim vi ſua, aut externa vi aliqua cogi poſſe conciperetur:

retur: Atqui neutra vi ad diligendum cogi poteſt: Ergo &c.

Prob. min. I. Part. Deus voluntate ſua nonniſi in bonum ferri poteſt (§. 71.); ac proinde vult bonitatem ſuam (§. 72.): Sed qui voluntate ſua diligit bonum, vi ſua ad diligendum cogi nequit: Ergo &c.

Prob. min. Dei voluntas nonniſi bonitatem ſuam diligendo, ſecundum naturalem propenſionem inclinationemque ſuam operatur: Sed qui ita agit, a coactione penitus immunis eſt & liber (Part. II. §. 240.) Ergo &c.

Prob. min. II. Part. Soritica methodo: Deus quum diligit creaturas ſeipſum diligit (§. 63.): Qui creaturas diligendo ſeipſum amat, id agit propter ſui ipſius bonitatem (§. 80.): Qui creaturas propter ſe diligit, earum bonitate ad amorem non permovetur (§. 82.) nec eas tanquam dilectionis ſuae finem reſpicit (§. 83.); neque item in ipſis ullam invenit bonitatem (§. 88.), ſed libera prorſus voluntate eaſdem amore proſequitur (§. 91.), quae a neceſſitate tum contradictionis, tum contrarietatis immunis ſit (§. 92. §. 93.):

Qui

Qui utraque libertate operatur, a coactione quoque liber eſt: Ergo &c.

SECTIO II.

De Scientia Dei.

Quemadmodum inter homines iis potiſſimum ſupremus honos & fama tribui ſolet, iidemque etiam in maximo nobis pretio ſunt, qui caeteris ſcientia antecellere videntur; ita nos rectiſſime de Divinitate ex eo praecipue ſentire debemus, quod Deus omniſcius demonſtrationibus oſtendatur. Rei igitur Theologicae, de qua agimus, dignitas inpraeſentiarum a nobis poſtulat, ut ipſius Dei Opt. Max. natura prius, exiſtentia, & voluntate demonſtratis, ad ejuſdem ſapientiam animum convertamus; ſi tamen nonnulla prius ſtatuamus.

Definitio I.

§. 98. Supremi Numinis omniſcientia earum rerum omnium cognitionem complectitur, quae aut ſunt, aut futurae ſunt, aut tanquam poſſibiles ſolum ſpectantur.

Scho-

SCHOLION.

§. 99. Tametſi tradita modo definitio apud Theologos univerſim tanquam indubia, & nemine diſcrepante recepta vigeat; attamen eadem juxta rerum, quae contemplatur diſcrepantiam, diverſam quoque nomenclaturam ſortiri ſolet. Tria ergo rerum exiſtunt genera, quae divinae ſcientiae objiciuntur: Aut enim res tanquam poſſibiles; quae nimirum nullam in ſe explicant contradictionem; aut tanquam futurae; aut demum quae nec poſſibiles ſunt neque futurae, cernuntur.

DEFINITIO II.

§. 100. Divina ſcientia, quae poſſibilia tantum intuetur, *ſimplicis intelligentiae* a Theologis vulgo appellatur.

DEFINITIO III.

§. 101. Divina ſcientia, quae futura cognoſcit, *Viſionis* ab iiſdem vocatur.

DEFINITIO IV.

§. 102. Divina ſcientia, quae juxta quorundam Theologorum opinationem nec poſſibilia nec futura cernit, *Scientia Media* nuncupatur.

SCHO-

Scholion.

§. 103. Hujus ſcientiae Inventores ac Propugnatores acerrimi, etſi vulgo habeantur Societatis Jeſu Theologi; attamen ipſos non omnium primos revera fuiſſe, qui praeclarae (ſi ſuperis placet) inventionis mereantur honorem. Semipelagiani (qui & Maſſilienſes dicti ſunt) apud eruditos omnes ejuſdem commenti Theologici principes exiſtimantur Auctores; quemadmodum ex D. Auguſtini Operibus liquido eruitur, pluribuſque aeque ac luculentiſſime immortalis Purpuratus Henricus Noriſius oſtendere conatur, qui tum ab Auguſtinianis Monumentis, tum maxime a famoſa Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi Hiſtoria totum hauſiſſe videtur. Quid de hac ſcientia rite ſit decernendum, non eſt loci hujus & temporis definire; ideoque totum hic Theologis relinquendum eſſe arbitror.

Hypothesis I.

§. 104. *Tanquam ratum, & ab omnibus Theologis demonſtratum aeque ſupponendum eſt inpraeſens, Deum per nihil aliud res intelligere, quam per ſuam eſſentiam.* Quidquid nimirum infinita mente per ſcientiam

ſuam contemplatur Deus; nonniſi ſeipſum contemplando cognoſcit. Perſpicuum S. Thomae Theorema validiſſimis ab eo fultum rationibus, ſatis pro univerſorum Theologorum ſuffragio fore non dubito: *Ex his autem quae ſunt ſupra* (ſic idem (a)) *oſtenſa, evidenter apparet, quod intellectus divinus nulla alia ſpecie intelligibili intelligat, quam ſua eſſentia. Species enim intelligibilis principium formale eſt intellectualis operationis, ſicut forma cujuslibet agentis principium eſt propriae operationis.* Quam rationem perſequitur S. Doctor, eamque cum aliis non minus firmis conjungit.

HYPOTHESIS II.

§. 105. *Extra omnem dubitationis gradum conſtituendum eſt, & tanquam a Theologiae ſanioris ſupremis dogmatibus derivatum; Deum videlicet ſemetipſum perfecte per ſcientiam ſuam intelligere.* Ea nimirum ratione Deus eſſentiam ſuam cognoſcere a Theologis dicitur; & quidem merito; qua nulla melior ſive perfectior haberi valeat. Quibus rationum momentis maxi-

(a) Lib. I. contra Gentes Cap. XLVI. nec non I. Part. Quaeſt. XIV. Art. II.

maxima haec intelligendi perfectio Deo ſit jure tribuenda, pluribus oſtendit ac profunde more ſuo praelaudatus S. Thomas (a).

HYPOTHESIS III.

§. 106. *Tanquam non minus firmum penes Theologos eſt; Deum nempe primo & per ſe ſolum ſemetipſum cognoſcere.* Deus ſcilicet ita ideam ſui in mente producit, ut nulla in ipſo ratio inveniatur, quae Deus ipſe non ſit. Conſulatur nuper commemoratus S. Thomas (b); ex quo luculenter conſtabit, quibus innixus demonſtrationibus ad hoc evincendum progrediatur.

COROLLARIUM I.

§. 107. *Ergo Dei ſcientia nonniſi eſſentiam ſuam habet pro objecto:* Nulla enim in Deo ratio inveniri poteſt, quae Deus ipſe non ſit (§. 58.).

COROLLARIUM II.

§. 108. *Ergo Dei ſcientia per nihil aliud quam per eſſentiam ſuam attingit creaturas.* Etenim Deus nihil intelligit, niſi per eſſentiam ſuam (§. 104.).

(a) Ibidem Cap. XLVII.
(b) Ibidem Cap. XLVIII.

COROLLARIUM III.

§. 109. *Ergo Deus ſeipſum perfectiſſime cognoſcendo, alia etiam a ſe intelligit.*

COROLLARIUM IV.

§. 110. *Ergo Deus voluntatem ſuam ab omni neceſſitate liberam cognoſcendo, alia etiam a ſe intelligit.* Quum enim divina voluntas per id conſtituatur, per quod Deus eſt (§. 95.) perinde eſſe conſequitur, ipſum, ad creaturarum aſſequendam notitiam, ſive voluntatem ſuam, ſive ſemetipſum cognoſcere.

HYPOTHESIS IV.

§. 111. *Abſque ulla dubitatione ex Theologicis fontibus acceptum ſtatuendum eſt, Dei ſcientiam rerum omnium cauſſam eſſe.*

SCHOLION.

§. 112. Praeter commemoratum paulo ante S. Thomam (a) huic Theologicae ſanctioni ſuffragari etiam leguntur SS. Auguſtinus (b), Gregorius Magnus (c), nec non vetuſtiſſimus Auctor (d); e quibus deinde aliiſque pluribus hauſerunt quotquot de divinis

(a) I. Part. Quaeſt. XIV. Art. 8.
(b) Lib. V. De Trinit. Cap. XV.
(c) Lib. XX. Moral. Cap. XXIII.
(d) Lib. De Divinis Nomin. Cap. VII.

divinis rebus pertractarunt. In id ergo omnes animum recte intenderunt, ut divinae cognitioni vim cauſae, atque efficaciſſimam energiam illam adjudicarent, qua tum quae fuerunt & modo exiſtunt, tum quae futura ſunt orirentur.

Corollarium I.

§. 113. *Igitur quum Deus ſeipſum perfectiſſime cognoſcit, ſemetipſum etiam rerum omnium eſſe cauſſam intelligit.* Quum enim in Dei ſcientia nulla ſit ratio, quae ab ipſo diverſa cenſeri debeat, fit proinde, ut in ſemetipſo rerum omnium ſe cauſſam eſſe cognoſcat.

Corollarium II.

§. 114. *Igitur in ſe, tanquam rerum omnium cauſſa, creaturas noſcit univerſas, easque veluti in lucidiſſimo ſpeculo contemplatur.*

Corollarium III.

§. 115. *Ergo Deus alia a ſe in voluntatis ſuae cognitione comprehendit.* Dei namque voluntas per id, quod Deus eſt, conſtituitur (§. 95.).

COROLLARIUM IV.

§. 116. *Ergo Deus ea nequit ſcientia ſua complecti, quae in voluntate ſua, tanquam in cauſſa, haudquaquam continentur.*

COROLLARIUM V.

§. 117. *Igitur Deus futura omnia in ſua ſcientia & voluntate cognovit:* Quandoquidem futura omnia in ſe contenta, tanquam in cauſſa, eſt aſſequutus.

COROLLARIUM VI.

§. 118. *Ergo futura omnia contemplando, ea contingentia eſſe cognovit.* Quum enim contingens illud nobis fuerit, quod ita eſt, ut illius oppoſitum eſſe poſſit (Part. I. §. 105.); jure idcirco futura omnia menti divinae ita exhibentur, ut ea a libera ſua voluntate pendere ſimul cognoſcat, nec ipſa immutabili eſſentia gaudere.

COROLLARIUM VII.

§. 119. *Ergo quae contingentia a Deo in ſua voluntate conſpiciuntur, a poſſibilium ſtatu ad futurorum conditionem, niſi divinae voluntatis placito, non tranſeunt.* Quum enim futura omnia contingentia eſſe a Deo cognoſcantur (§. 118.), atque ea

in

in voluntate ſua, tanquam in cauſſa, contineri contempletur (§. 113.) fit proinde, ut quae poſſibilia in ſe erant, futura poſtmodum uno divinae voluntatis decreto conſtituantur.

Corollarium VIII.

§. 120. *Ergo poſſibilia a Deo nequaquam cognoſcuntur in ſuae voluntatis decreto.* Quae enim poſſibilia ſunt, eſſentiam habent neceſſariam (Part. I. §. 97.), neque ullam ſui cauſſam agnoſcunt. Ergo in divinae voluntatis decreto, tanquam in cauſſa, haudquaquam continentur.

Hypothesis V.

§. 121. *Pro indubitato Theologorum Dogmate mihi inpraeſens ſancire lubet; Deum nimirum poſſibilia omnia infinita ſcientia attingere, ſeipſum perfectiſſime cognoſcendo.*

Scholion.

§. 122. Tametſi quae in eſſentia ſua a Deo poſſibilia cognoſcuntur, in ſua etiam voluntate intelligantur; quae tamen futura ſunt nonniſi in libero voluntatis ſuae decreto, tanquam futurorum omnium cauſſa contemplari debet. Enimvero; quemadmodum ſupra dictum eſt (§. 119.) poſſibi-

lia a Deo cognita, niſi divinae voluntatis placito accedente, ad futurorum conditionem non tranſeunt.

PROPOSITIO VII.

Deus tum ſui, tum rerum omnium ſcientiam habet immutabilem.

§. 123. *Demonſtratio I.* Quidquid Deus ſcientia ſua aſſequitur, vel circa poſſibilia verſatur & *ſimplicis intelligentiae* ſcientia (§. 100.), vel circa futura & ſcientia *viſionis* (§. 101.): Atqui utraque ratione Deus rerum omnium ſcientiam habet immutabilem: Ergo &c.

Prob. min. Deus utraque ſcientia res per nihil aliud intelligit, quam per eſſentiam ſuam (§. 104.) ſed divina eſſentia immutabilis eſt (§. 34.): Ergo &c.

Demonſtratio II. Soritica methodo: Deus ſemetipſum per ſcientiam ſuam perfecte intelligit (§. 105.): Qui ſemetipſum perfecte intelligit, primo & per ſe ſolum ſemetipſum cognoſcit (§. 106.): Qui primo & per ſe ſolum cognoſcit ſeipſum, nonniſi eſſentiam ſuam habet pro objecto (§. 107.): Qui nonniſi eſſentiam ſuam habet pro objecto, per ipſam ſolum attingit Creaturas (§. 108.):

(§. 108.): Qui per eſſentiam ſuam Creaturas attingit, alia etiam a ſe intelligit (§. 109.): Qui alia a ſe intelligit, per voluntatem ſuam, tanquam rerum omnium cauſſam cognoſcit (§. 115.): Qui res in ſua voluntate tanquam in cauſſa cognoſcit, futura etiam in libero ſuae voluntatis decreto cognitione aſſequitur (§. 117.): Qui futura in libero voluntatis ſuae decreto attingit, in ſui eſſentia intelligit (§. 108.): Qui in ſui eſſentia futura intelligit, poſſibilia quoque in ſe tanquam in eodem ſpeculo noſcit (§. 104.): Qui poſſibilia in ſui eſſentia pernoſcit, ſemetipſum aeque pernoſcit (§. 105.): Qui ſemetipſum perfecte intelligit, ſemetipſum quoque immutabilem eſſe contemplatur (§. 34.) Ergo &c.

COROLLARIUM I.

§. 124. *Igitur Dei ſcientia non eſt illi accidentalis aut contingens.* Ipſe namque immutabilis eſt (§. 34.); contra vero quod accidentale eſt aut contingens, rebus nonniſi compoſitis & mutabilibus ineſt

COROLLARIUM II.

§. 125. *Igitur Dei ſcientia ab externis rerum objectis haudquaquam proficiſcitur.* Quid-

Quidquid enim cognoſcit Deus per ſuam eſſentiam contemplatur (§. 104.): Eleganter propterea S. Auguſtinus (a) *univerſas* inquit *creaturas ſuas & ſpirituales & corporales, non quia ſunt, ideo novit Deus, ſed ideo ſunt quia novit.*

COROLLARIUM III.

§. 126. *Ergo mala quaecumque non cognoſcit Deus:* Quum enim malum nullum in natura excogitari valeat, quod abſolute tale appellari fas ſit (Part. I. §. 42.), conſequitur idipſum in ſua voluntate tanquam cauſſa haudquaquam poſſe contineri; eo quia nihili nullam eſſe cauſſam univerſi fateantur.

SECTIO III.

De Dei bonitate atque beneficentia.

SUpremum illud Numen perfectiſſimum; de quo hactenus actum a nobis fuit, infinita etiam bonitate & beneficentia pollere, facile ſimplicis Corollarii lumine poſſet demonſtrari; niſi adverſus Atheos atque Deiſtas omnis ab eo vel levis malitiae.

(a) Lib. XV. De Trinit. Cap. XIII.

tiae umbra invicto ſtudio maximum operae pretium eſſet propulſare. Quum enim nebulones iſti, ut naturalis Religionis principia & fundamenta ſubvertant penitus, veterum Epicureorum atque Manicheorum perabſurdas de malis hujus vitae opiniones ab inferis quodammodo excitaverint, in id proinde ſumma ſedulitate inpraeſens nobis erat inſiſtendum, ut divina Bonitas peculiari ſectione vobis exhiberetur. Itaque pro more ſit

DEFINITIO I.

§. 127. Quemadmodum unumquodque per id eſſe bonum per quod eſt Ens (Part. I. §. 49.) conſtituimus; ita Deum per id eſſe bonum intelligimus per quod eſt Ens a ſe, & omnium perfectiſſimum (§. 5.)

SCHOLION.

§. 128. Divinae bonitati malum quodcumque adverſari, jam ut diximus, certa atque explorata eſſet demonſtratio, niſi tria malorum genera pervulgata & ab omnibus agnita aliquid in ſpeciem negotii faceſſere viderentur. Ea igitur ex facta partitione, vel *metaphyſica*, vel *phyſica*, vel *moralia* demum dicuntur.

DE-

DEFINITIO II.

§. 129. Mala quae *metaphyſica* appellantur, in defectu illo ſita ſunt, quo univerſae creaturae laborant, propter earum nativam imperfectionem. Ex eo namque quod illae non ſint Entia a ſe, neque iis gaudeant attributis, quae Enti infinite perfecto conveniunt, ortum habent hujuſmodi defectus, quae *mala* a philoſophis vocantur.

DEFINITIO III.

§. 130. Mala, quae *phyſica* vocantur, iis tantum finibus continentur, quibus animi & corpora maeroribus atque doloribus excruciari poſſunt. Ita animus noſter malo corripi phyſico ſe ſentit, quum perturbationibus aliiſque id genus internis motibus concutitur: Ita etiam corpus malum phyſicum experitur, quum morbo aliquo laeditur.

DEFINITIO IV.

§. 131. Mala, quae *moralia* dicuntur, rationali Creaturae evenire omnibus eſt in confeſſo, quum ipſa aliquid ſceleſte adverſus naturalem & divinam legem, ſive adverſus juſta humanae Poteſtatis praeſcripta molitur.

Co-

Digitized by Google

Corollarium I.

§. 132. Ergo malum *metaphyſicum* haudquaquam eſt abſolute tale. Hujuſmodi enim nomen ſortiuntur Creaturae omnes ex eo, quod Entia infinite perfecta & Entia *a ſe* nequaquam ſint (§. 129.)

Scholion.

§. 133. Tam indubitata res eſt, finitam creaturarum eſſentiam abſoluti alicujus mali nihil in ſe habere, quin potius ea appellari mala ſolere, inſpecta earundem natura, ut contra maximum bonum exiſtiment omnes qualemcumque eſſentiam, & realitatem, ut ajunt, habere, quam nullam poſſidere. Quare neminem reperire quis poterit in maximis etiam animi corporiſque cruciatibus & doloribus conſtitutum, qui non malit eſſe potius qualiſcumque, quam nullus.

Corollarium II.

§. 134. Ergo nec malum *phyſicum* abſolute tale dici valet. Quae enim mala ſunt phyſica, ex praeſenti tantum ſenſatione aeſtimantur; & quia animi & corporis noſtri naturae nequaquam cohaerere ſentiuntur.

SCHOLION.

§. 135. Cuipiam ſerio conſideranti indubitatum videri debet univerſa mala, quae phyſice afficiunt homines ex praeſenti ingrata perceptione non eſſe dimetienda, verum ex eorum fine tantum eſſe pendenda. Enimvero quaecumque rem aliquam ita perficiunt, ut ad finem ſuum ducant rectius atque facilius, illi utique bona ſunt; etſi moleſta atque inſuavia ſentiantur. Homines ergo, qui ratione ſunt praediti, non ut bruta animantia ex praeſenti tantum ſenſu, verum ex fine de bonis & malis accurate debent cogitare: Quamobrem quae dici vulgo ſolent mala, eadem ipſa nobis hanc regulam adhibentibus bona eſſe occurrent; atque ex adverſo eorum plurima, quae bona exiſtimamus & appellamus, mala eſſe reperientur. Ne Epicurus quidem (ut apud Laertium atque Gaſſendum (a) videri poteſt) ab hoc Canone diſſenſiſſe compertus eſt; qui docuit, nec omnes omnino voluptates ſectandas, nec omnes abſque ullo diſcrimine fugiendos dolores. Horum porro malorum finis, ſapien-

(a) Lib. X.

pientum omnium conſenſione is proculdubio eſt, ut Deus hiſce veluti mediis a nimio praeſentis vitae ejuſque bonorum amore nos revocet, ut iiſdem perterriti atque proſtrati ad aeternam felicitatem animum convertamus.

Corollarium III.

§. 136. Ergo malum *morale* nullum eſt intrinſece tale. Omni ſiquidem lege ſublata, nihil habet libertas humana, cui delinquendo adverſari valeat; quemadmodum alibi (Part. I. §. 43.) docuiſſe conſtat.

L e m m a.

Malum metaphyſicum Dei bonitati & beneficentiae non adverſatur, ejuſque origo in Creaturae cujuslibet natura reperitur.

§. 137. *Demonſtratio:* Dei bonitati atque beneficentiae non adverſatur malum metaphyſicum, ſi Dei voluntate Creaturis nequaquam illud inhaereat: Atqui nulla Dei voluntate illud Creaturis ineſſe jure dici valet: Ergo &c.

Prob. min. Nulla Dei voluntate malum illud Creaturis ineſſe poteſt, quod ipſae congenita imperfectione, atque ab intrinſeco habere poſtulant: Atqui ita Creaturae omnes ſe habent (§. 129.) Ergo &c.

Corollarium I.

§. 138. *Ergo Deus malum metaphyſicum a Creaturis nequit auferre*. Si namque hoc efficere valeret, Deus profecto non eſſet. Nequit ipſe praeterea illud efficere, quod contradictorium eſt: Porro quum Ens creatum infinite eſſe perfectum, tam ſit natura ſua pugnans, quam circulus quadratus, id Deus profecto, non potentiae ſuae defectu, neque bonitatis egeſtate, ſed rerum ipſarum interna pugna non poteſt.

Corollarium II.

§. 139. *Ergo neque velle ipſe poteſt malum metaphyſicum auferre a Creaturis*. Illud enim velle nequit, quod ſibi propter infinitam perfectionem impoſſibile eſt.

Corollarium III.

§. 140. *Ergo malum phyſicum nihil detrahit divinae bonitati atque beneficentiae*. Hujuſmodi namque malum abſolute tale dici non debet (§. 134.), illudque ex fine tantum eſt dimetiendum (§. 135.)

Corollarium IV.

§. 141. *Ergo neque malum morale Dei bonitati officere valet*. Hoc enim malum in libertatis humanae vitio conſiſtit (§.

131.):

131.): Mala item quaecumque non cognoſcit Deus, in cujus voluntate, tanquam cauſſa, contineri poſſint. (§. 126.)

SCHOLION.

§. 142. Quamvis mala cuncta phyſica nec non moralia, ſpectata Dei infinita poteſtate, e mundo penitus exterminare valeret; id tamen quum ſapientiae ſuae conſiliis ſibi in regendis hominibus ab aeternitate praeſtitutis conſentaneum non eſſet, ſatius idcirco duxit; ut celebre fert S. Auguſtini effatum; mala eſſe aliqua, quam mala nulla eſſe permittere. Quantum penes omnes de Divinitate recte ſentientes Metaphyſicos atque Theologos firma ſit haec doctrina, pluribus aequum eſſet exhibere; niſi ex adverſo Operis brevitatem, ut fas eſt, nobis cordi ſummopere eſſet perpetuo conſectari.

PROPOSITIO VIII.

Ita Deus Opt. Max. infinite bonus eſt atque eximia beneficentia praeſtans, ut nullum malorum genus ſit in Creaturis repertum, quod perfectioni ſuae vel minimum valeat detrahere.

§. 143. *Demonſtratio Soritica methodo:* Deus voluntate ſua in diligendis creaturis nonniſi in bonum ferri poteſt (§. 71.), ipſeque illas amando vult bonitatem ſuam (§. 72.): Qui ita creaturas diligit, id propter ſui ipſius bonitatem agit (§. 80.), eaſque amore proſequitur, nulla in ipſis bonitate permotus (§. 82.), & ad ſemetipſum veluti ad finem refert (§. 84.): Qui ita creaturas diligit, non affectivo ſed effectivo amore iiſdem benefacit (§. 86.), atque in ipſis ſuam duntaxat amat bonitatem (§. 89.): Qui ita diligit creaturas, in ea ferri non poteſt, quae vel ſuis adverſentur attributis, vel impoſſibilia ſunt metaphyſice (§. 67. §. 70.): Qui ita creata cuncta diligit, aliud univerſum, quod melius ac perfectius ſit, nequit diligere (§. 68. §. 69.): Qui ita Univerſum hoc diligit, nullum diligit malum abſolute tale in eo repertum (§. 132. §. 133. §. 134. §. 135. §. 136.): Qui nullum diligit malum abſolute tale creatis rebus adhaerens, nullum quoque malum habet adverſum, quod ſuae bonitati & beneficentiae repugnet (§. 137. §. 140. §. 141.): Ergo ita

ta Deus Opt. Max. infinite bonus eſt, ut nullum malorum genus ſit &c.

SCHOLION.

§. 144. Niſi tantam nobis ad differendum anguſtiam conſectari propoſitum neceſſario fuiſſet, praeſentem de Dei bonitate diſceptationem pro rei dignitate atque uberiori ſermone pertractare adverſus impiiſſimos ejus criminatores cuperemus. Verum loco & tempori obtemperandum mihi eſſe video, ac me ſatis pro illa adſerenda dixiſſe confidens, ad praeclariſſimos noſtri aevi Tractatores, qui fuſius rem egerunt, vos compellere ſtatuo. Interim vero ab Operis noſtri methodo rerumque tractandarum ordine nullatenus detorquentes, de Dei Providentia exinde agere conſentaneum ac neceſſarium fore exiſtimo.

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT III.

De Dei erga Creaturas omnigena Providentia.

VEtus impiorum olim viguit opinio, quae noſtra etiam tempeſtate plurimorum mentibus dominatur; nulla nimirum mundum providentia regi, nullaque adminiſtrari potentia. Suſcepto itaque muneri minime ſatis me feciſſe arbitrarer, niſi, unius ſupremi Numinis natura, exiſtentia, caeteriſque attributis oſtenſis, cuncta ab eo dirigi, ac nihil prorſus, eo nolente, nec concurrente, neque praedeterminante, peragi a Creatis rebus poſſe demonſtrarem. Quapropter adverſus Deiſtas; eos nimirum, qui inique affirmant humanas res a Deo nullatenus curari; res erit nobis, quoad fieri poterit, ſtrenue;

po-

poſteaquam nonnulla primum ſuis apte locis definita & explorata ſanxerimus.

SECTIO I.

De Deo rebus omnibus & ſingulis proſpiciente.

HAud ſatis pro divinae Providentiae cauſſa me facturum arbitrarer, niſi non omnia ſolum illi ſubjici, verum etiam ſingula & minutiſſima quaevis illius curae & gubernationi adſerere ſtuduiſſem. Id igitur tota animi contentione inpraeſens efficiam; atque ut ad extremum Operis complementum citius pertingam, ſit

DEFINITIO.

§. 145. *Providentia*, ut illam egregie definit Boetius (a) *eſt ipſa illa divina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quae cuncta diſponit:* Sive, ut eandem clarius exhibent metaphyſici univerſim & communi calculo, *eſt earum rerum, quae ſunt & quae futurae ſunt praeſcientia, diſpoſitio, & gubernatio.*

(a) De Conſol. Lib. IV. Proſ. 6.

Corollarium I.

§. 146. Ergo ad Providentiam duo requiruntur; futurorum ſcilicet praeſcientia, & actio, qua ſingula quae ſunt, & quae futura ſunt, ad ſuos peculiares fines referantur; qui tandem ad communem quendam finem demum ſint ordinati.

Corollarium II.

§. 147. Deus ergo erit providus, ſi ea cuncta, quorum eſt praeſcius, ita arte & regulis facta ſint, ſuiſque locis aptata & ad invicem nexa atque colligata affabre, ut inde mirus partium atque totius Mundi concentus exiſtat; & cuncta eum finem, ad quem ſint condita, non ſpectent tantum, ſed perpetuo ſectentur, ac tandem aſſequantur: Si demum, ut S. Thomae aurea & profunda ſententia loquamur, in rebus inſit ſingulis *ratio ordinis partium in toto, & ordinis rerum in finem* (a).

Propositio IX.

Nihil exiſtit entis phyſici rationem habens, quod divinae Providentiae non ſubſit.

§. 148. *Demonſtratio I.* Exiſtit perfectiſſima Dei natura (§. 14.): Ergo nihil exiſtit &c. *Prob.*

(a) I. Part. Quaeſ. XXII. Art. I.

Prob. conſ. Si aliquid exiſteret entis phyſici rationem habens, quod divinae Providentiae non ſubeſſet, perfectiſſima Dei natura non exiſteret: Sed hoc quammaxime repugnat: Ergo &c.

Prob. maj. Illud aut exiſteret a ſe, aut ab alio & contingenter: Atqui exiſteret a ſe: Ergo non exiſteret contingenter & ab alio: Atqui quod a ſe exiſteret impediret quominus perfectiſſima Dei natura exiſteret: Ergo &c.

Prob. min. ſubſumpt. Quod a ſe exiſteret, Deus eſſet (§. 37.): Ergo Deorum pluralitatem adſtrueret: Ergo impediret quominus perfectiſſima Dei natura exiſteret.

Prob. directe min. Si aliquid exiſteret entis phyſici rationem habens, quod divinae Providentiae non ſubeſſet Deus illius haudquaquam eſſet conſcius; eo quia eorum Deus ſcientiam habet, quae in illius voluntate, tanquam cauſſa continentur (§. 114.): Ergo quod in ejus voluntate tanquam cauſſa non contineretur, a ſe exiſteret.

Demonſtratio II. Soritica methodo: Adſpectabilis hic mundus corporeus aeternus

non eſſe, ſed aliquando caepiſſe videtur (§. 18.): Ergo cauſſam habet, a quo eſſe caeperit. Qui cauſſam habet, tum mutabilis eſt, atque in infinitum modificabilis; tum ad motum & ad quietem eſt prorſus indifferens (§. 19.): Qui hiſce affectionibus eſt inſtructus, vires finitas habet, quae uſu & attritu veluti quodam conſumuntur (§. 22.): Ergo conſilio, arte, & ſapientia gubernari, refici, atque in ſuo mirabili ordine conſervari poſtulat (§. 20.): Qui ita regi & conſervari poſtulat, tam mira gaudet rerum & partium ſerie, quarum aliae aliis nexae mutuis inter ſe officiis ſibique reſpondent, ac conſtanti lege in ſuum ſe ſe dirigere finem videntur, ut ratione aliqua movente impelli credi debeant (§. 24. §. 25.): Ergo nulla eſt, quantumvis minutiſſima particula entis phyſici rationem habens, quae aliis particulis non jungatur rite connexa, & ad ſuum finem non perducatur. Quae ita ſapienter dirigitur & gubernatur ab aliquo uno dependet (§. 28.); in quo omnium, quae in mundo fiunt atque contingunt ratio ſufficiens inveniatur, ipſumque aeternum at-

que

que immutabile ſit (§. 34.): Quae hoc uno dirigente indiget particula entis phyſici rationem habens, ab eodem uno dependet, qui omnium eſt praeſcius, & cuncta futura in ſua voluntate, tanquam cauſſa cognoſcit (§. 117.); qui eadem, ut ad ſuum finem ordinatiſſime referantur, perpetuo ſtudet (§. 24. §. 26.), omnium curam habet atque Providentiam (§. 147.): Ergo nihil exiſtit entis phyſici rationem habens, quod divinae Providentiae non ſubſit.

Corollarium.

§. 149. *Ergo non ea ſolum, quae ſublimioris ſunt ordinis praeſtantioriſque naturae: verum etiam infima quaeque, atque viliſſima divinae ſubjiciuntur providentiae:* Quaecumque enim, caeteroqui viliſſima, entis phyſici rationem habent, quae ad totius univerſi oeconomiam conſtandam conſervandamque cum reliquis ſublimioribus aeque concurrunt. *Nulla* igitur *mundi particula;* quemadmodum perbelle ad rem noſtram effatur Euſebius (a), *Dei providentiam effugit.*

Scho-

(a) Lib. XII. de Praeparat. Evan. Cap. XXVIII.

Scholion.

§. 150. Tametſi argumenta hucuſque in demonſtratione praevia allata, illud, quod potiſſimum fieri neceſſe erat, oſtenderint; attamen iiſdem non levia adcedunt, quae aut a natura humana, aut a civilium ſocietatum indole, & conditione depromi poſſent. Ut hoc in loco uberrima praetereamus ex hominis natura deſumpta argumenta, ne prolixiores merito videamur, atque ad alterum dicendi caput cogitationem paululum convertamus; certe Regnorum ortus, & interitus rerum humanarum innumerae pene viciſſitudines, atque periodi, quas inter, adverſus etiam prudentiſſimorum hominum conatus, mundum adhuc ſtantem, atque immutabilibus legibus procedentem in omnibus, & ſingulis ſuis partibus intuemur, clariſſima nobis Divinae Providentiae ſuppeditant argumenta, ad quae ſerio, ac per intervalla ſanae mentis momenta attendentes Democritici, & Epicurei (quod etiamnum perditiſſimi aevi noſtri Providentiae hoſtes intima convicti conſcientia dicere intra ſe compelli debent) exclamare identidem cogebantur, atque ad

eos,

eos, qui pro eadem Providentia ſtrenue decertabant lacrymabiles haſce voces attollere: *Impoſuiſtis cervicibus noſtris ſempiternum dominum. Quis enim non timeat omnia Providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii Deum?* At vero ſicut omnis humana ſocietas, Dei ſublata Providentia, inter maximas, quibus ſubjecta cernitur, viciſſitudines eſſet dubio procul peritura, ita juſtitia & fides omnis, quibus potiſſimum tota illa innititur, eadem Providentia denegata, continuo ſimul corruerent. *Haud enim ſcio*, inquit elegantiſſimus Tullius (a), *an Providentia adverſus Deos ſublata, fides etiam, & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus, juſtitia, tollatur.* Porro, ut Lactantius auctor eſt, *quid erit homine truculentius, quid immitius, ſi demto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere* (b)? Aut ergo nobis fatendum eſt ad humanam ſocietatem ſervandam tutandamque juſtitiam univer-

ſali

(a) Lib. I. *De natura Deor.* Cap. II.
(b) Lib. *De ira Dei* Cap. XII.

ſali opus, eſſe errore, atque totum ipſum humanum genus, quum Deum veluti Parentem Optimum, rerumque omnium Curatorem ſummum veneratur, turpiter falli; quod tamen omnis probe inſtituta ratio renuit cogitare; aut divinam Providentiam ſtatuamus oportet, cujus poteſtate omnia, quae conſpicimus condita primo fuerint, ſapienterque regantur. *Timor igitur Dei* (ſic mihi fas ſit argumentationem abſolvere eamque paulo ante commemorati Lactantii (a) verbis illuſtrare) *ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quam vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur.*

SECTIO II.

De Deo omnibus & ſingulis rebus concurrente.

QUicumque Deum Optimum rerum omnium Curatorem funditus, quoad humani ingenii vires patiuntur, non agnoſcere ſolum ſtudent, verum etiam quantum ipſius valeat Providentia bene ſentire cordi

(a) *Ibidem* Cap. XII.

cordi habent, illud potiſſimum inquirere ſedulo debent, quanam ratione omnibus & ſingulis in hoc adſpectabili mundo a ſe conditis rebus conſulat atque ad ſuos fines referri curet. Quod profecto quum nonniſi perpetua poteſtatis ſuae diſpenſatione; quam *concurſum* appellant; fieri ab eo poſſe, univerſi fateri debeant, Tractationi proinde huic nobis modo eſt, brevius tamen, inhaerendum. Quare ſit

DEFINITIO I.

§. 151. Dei *concurſus* nobis caeteriſque Philoſophis illud eſt, quod creatis rebus motum actionemque omnem ita impertitur, ut niſi ejus virtus accederet, ipſae in congenita ſibi inertia permanerent.

SCHOLION.

§. 152. In duo genera Dei *concurſum* Philoſophi ac Theologi pene omnes leguntur vulgo partiri; quorum prius *ſimultaneum*, alterum *praevium* appellant: Niſi forte ab hac Scriptorum univerſitate ii debeant excipi atque expungi Theologi, qui *Scientiam mediam* mordicus defendentes, quo ſuum demum ſyſtema perperam feratur, ipſi certe aut non perſpiciunt, aut cognoſcere conſulto adſpernantur.

Definitio II.

§. 153. *Simultaneus* Dei *concurſus* explicari ille ſolet, qui univerſos motus atque actiones creaturarum ita comitatur, ut quidquid ab ipſis egreditur, a Deo tanquam prima omnium cauſſa dependeat

Definitio III.

§. 154. *Praevius* Dei *concurſus* ille vocatur, qui motus actioneſque creaturarum quaſcumque vi ſua excitat, iiſque prior ſe movendi agendique tribuit efficaciam.

Corollarium I.

§. 155. *Ergo Deus utroque concurſu cum creaturis per ſe ſe operatur.* Niſi enim per ſe ſe ageret, explicari nullo pacto poſſet quomodo aut creaturarum cuncta comitaretur, aut illis omnimodam primus conferret efficaciam, quae omnia etiam creaturae ipſae a ſe non haberent.

Corollarium II.

§. 156. *Ergo Deus actione ſua omnium effectuum in creaturis exiſtentiam utroque concurſu immediate attingit.* Si enim media aliqua & a ſe diſtincta virtute operaretur, jam non ipſe per ſe ſe agere atque creaturarum effectus attingere jure dici poſ-

ſet; quum conſtanti omnium conſenſione effectus omnis ab ea cauſſa *immediate & per ſe* tantum dependeat, per cujus actionem exiſtit.

AXIOMA I.

§. 157. *Quemadmodum nulla Creatura a ſe habet ut exiſtat, ita eadem a ſe nequit habere ut operetur.*

AXIOMA II.

§. 158. *Omnium creaturarum operatio earum eſſentiam conſequitur, moduſque operandi eſſendi modo; ut ſcholaſtica loquutione hujuſmodi teſtantur Philoſophi omnes; plane reſpondet.*

COROLLARIUM I.

§. 159. *Igitur omnis creaturarum operatio neceſſariam ſui poſtulat exiſtentiam, quae ab alio ſit.* Nulla enim Creatura a ſe nequit habere ut operetur (§. 158.)

COROLLARIUM II.

§. 160. *Igitur omnis Creaturarum effectus a Deo nonniſi immediatione ſuppoſiti vim habet ut exiſtat.* Etenim ſi Deus ad quoslibet creaturarum effectus *immediatione* ut ajunt, *virtutis* concurreret, non ipſe *per ſe* atque *immediate* effectum, ut liquet, attingeret (§. 155. §. 156.)

SCHOLION.

§. 161. Celebris eſt inter Theologos Durandi a S. Porciano ſcholaſtici Doctoris diſtinctio, quum de ſimultaneo Dei concurſu diſputationem habet. *Immediationem virtutis* illam vocat, qua Deus Creaturas agere ſinit juxta collatam primitus congenitamque illis virtutem: Teſtatur vero cum Creaturis Deum potuiſſe concurrere *immediatione ſuppoſiti*, ſi ita cum illis egiſſet, ut quum operantur, effectus cujuſpiam exiſtentiam ſua & ipſe Deus actione immediate attigiſſet, ac reipſa comitaretur. Hanc nihilominus poſteriorem opinionem inter reliquos omnes affirmantes Philoſophos atque Theologos rejecit Durandus. Quanquam vero negativa ſententia non ita Durandi propria eſt, ut omnium ille primus eam in ſcholas invexerit: Etenim antiquiſſimam eandem fuiſſe docet luculenter S. Auguſtinus hiſce verbis: *Sunt qui arbitrantur* (ſic ipſe ſcribit), *tantummodo Mundum ipſum factum a Deo, caetera jam fieri ab ipſo Mundo, ſicut ille ordinavit & juſſit; Deum autem ipſum nihil operari* (a).

Tam

(a) Lib. V. *Super Geneſim ad Litteram* num. 40. alias Cap. XX.

Tam erronea nihilominus cuipiam ſapienti videri debet expoſita opinio, ut nemo ad ipſam vel paucis refellendam merito valeat excitari.

PROPOSITIO X.

Simultaneus Dei cum omnibus & ſingulis creaturarum effectibus concurſus a divina Providentia, abſque illius injuria, nequit ſeparari.

§. 162. *Demonſtratio I.* Omnis creaturarum operatio ac effectus a Deo nonniſi *immediatione ſuppoſiti* vim habet ut exiſtat (§. 160.) Ergo &c.

Prob. conſeq. Omnis creaturarum operatio & effectus divinae ſubjicitur Providentiae (§. 148. §. 149.): Atqui niſi Deus ſimultanee cum omnibus & ſingulis creaturarum effectibus concurreret, neque omnis creaturarum operatio a Deo vim haberet, ut exiſteret; neque divinae Providentiae ſubjiceretur: Ergo &c.

Prob. min. Niſi Deus ſimultanee concurreret, tum omnis creatura a ſe haberet ut operaretur, tum omnium effectuum a creaturis exiſtentium Deus non eſſet praeſcius: Atqui creatura a ſe nequit habere, ut

operetur (§. 157.): Deus vero omnium futurorum habet praeſcientiam immutabilem (§. 114. §. 123.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Nihil exiſtit entis phyſici rationem habens, quod divinae Providentiae non ſubſit (§. 148.) Ergo &c.

Prob. conſeq. Divina Providentia ratio illa eſt in ſummo omnium Principe conſtituta, quae cuncta diſponit (§. 145.): Atqui niſi Deus ſimultanee cum creaturarum effectibus concurrat, quidquid ab iiſdem egreditur entis phyſici rationem habens, diſponi ab ipſo nequiret: Ergo &c.

Prob. min. Niſi Deus ſimultanee cum creaturarum operationibus concurrat, earum operationes omneſque effectus ab ipſis prodeuntes, earundem eſſentiae & conditioni haudquaquam reſponderent, nec de ipſis poſſet diſponere: Atqui operandi modus eſſendi modo reſpondere plane debet (§. 158.) Ergo &c.

Prob. maj. Creaturarum eſſentiae & conditioni actiones ſive operandi modus non reſpondet, neque de illis poteſt Deus diſponere, ſi quemadmodum nulla creatura a ſe habet ut exiſtat, ita ex adverſo nequa-

quaquam a ſe habet ut operetur: Sed niſi Deus ſimultanee cum creaturarum operationibus concurrat, ipſae a ſe habent ut operentur; neque de illis valet diſponere: Ergo &c.

Prob. min. De iis operationibus non valet Deus diſponere, quae a ſe tanquam a prima omnium cauſſa non dependent (§. 153.): Sed niſi Deus ſimultanee cum creaturis concurrat, earum operationes a ſe tanquam a prima omnium cauſſa non dependent: Ergo &c.

Prob. min. Ab alio non dependet tanquam a prima omnium cauſſa, quod Deo concurrente non indiget: Ergo niſi Deus &c.

SECTIO III.

De Deo omnia & ſingula praemovente.

QUemadmodum a divinae Providentiae ratione *ſimultaneus* concurſus abeſſe non poſſe a nobis viſum fuit, ita neceſſarium modo apparet inveſtigare, num etiam *praevius* ita illi conveniat, ut, niſi praedeterminatio iſthaec afferatur, periculum ſit, ne perperam de Deo omnium Provi-

ſore ſentiamus. Quum vero ſub creaturarum nomine tam quae *neceſſariae*, quam quae *liberae* vocantur, indiſcriminatim contineantur, ad earundem proinde utrumque genus noſtram ſpectare volumus diſputationem; pro qua rite expedienda, ſit

AXIOMA I.

§. 163. *Dei concurſus caeca & inconſulta ratione creaturis praeſtari non poteſt; idque infinitae ejus perfectioni repugnat.*

COROLLARIUM I.

§. 164. *Ergo ſcientia & cognitione duce concurſus accomodari iiſdem a Deo neceſſe eſt.*

COROLLARIUM II.

§. 165. *Ergo Deus voluntate ſua cum creaturis concurrit:* Dei namque ſcientia rerumque omnium cognitio in voluntate ſua tanquam cauſſa continetur (§. 117.)

AXIOMA II.

§. 166. *Dei voluntas prima rerum omnium eſt cauſſa, cui reliquae inferiores cauſſae ſubduntur.*

COROLLARIUM I.

§. 167. *Ergo inferiores cauſſae ab alio ſunt, a quo ipſae dependent.*

Co-

Corollarium II.

§. 168. *Ergo inferiores cauſſae ab alio perinde habent, ut operentur.*

Corollarium III.

§. 169. *Ergo actione aliqua praedetermi-nari a prima cauſſa eaedem poſtulant, qui-bus paſſio perinde aliqua reſpondeat* (Part. I. §. 240.)

Axioma III.

§. 170. *Divina praedeterminatio in in-feriores cauſſas in actione reali & phyſica conſiſtere debet.*

Corollarium.

§. 171. *Ergo moralis tantum praedeter-minatio impar eſt omnino ad inferiores cauſ-ſas praemovendas.* Quod enim nihil eſt reipſa, nullius rei efficiens cauſſa eſſe po-teſt. (Part. I. §. 281.)

Scholion.

§. 172. Solemnis eſt omnium Thomi-ſtarum *de phyſica praemotione* ſententia, de qua inter plures conſuli poteſt Clar. P. Goudin (a): Caeterum ſi res attente fun-dituſque expendatur, non adeo Thomiſta-rum haec tantum propria cenſeri debet,

 ut

(a) Part. IV. Philoſoph. Diſp. II. Quaeſt. 3. Art. 2.

ut reliquis Theologis probe de divinitate ſentientibus non aeque communis ſit adjudicanda: Quocirca tota Thomiſtas inter & Auguſtinianos praeſertim de hujuſmodi *praemotione* diſceptatio prae diverſis quidem loquutionibus, idem tamen ſignificantibus, tanquam lis *de nomine* eſſet demum facili negotio dirimenda.

A X I O M A IV.

§. 173. *Dei concurſus pro varia Creaturarum natura & conditione applicari ab eo neceſſe eſt.* Ita nimirum Deus cum Creaturis concurrit, ut earum naturam non immutet aut invertat.

C O R O L L A R I U M.

§. 174. *Ergo Dei concurſus ſive cum cauſſis neceſſariis, ſive cum liberis, earum naturam ſarctam tectamque tuetur.*

P R O P O S I T I O XI.

Deus ideo rerum omnium eſt providus, quia cuncta, quae creaturarum ſunt, praedeterminat.

§. 175. *Demonſtratio I.* Dei voluntas prima rerum omnium eſt cauſſa, cui reliquae inferiores cauſſae ſubduntur (§. *166.*) Ergo &c.

Prob.

Prob. conſ. Deus ideo rerum omnium eſt providus, quia prima rerum omnium eſt cauſſa, cui reliquae ſubduntur: Atqui Deus ideo prima rerum omnium eſt cauſſa, quia cuncta quae creaturarum ſunt praedeterminat: Ergo &c.

Prob. min. Deus ideo prima rerum omnium eſt cauſſa, quia inferiores cauſſae illi ſubditae ab alio; a Deo nempe; dependent (§. 167.) & ab eo item habent, ut operentur (§. 168.): Atqui niſi cuncta, quae creaturarum ſunt praedeterminet Deus, inferiores cauſſae, ab illo nec dependent, nec habent ut operentur: Ergo &c.

Prob. min. Ideo a Deo prima rerum omnium cauſſa creaturae dependent, & ab illo habent ut operentur, quia actione aliqua praedeterminari a prima cauſſa poſtulant, quibus paſſio perinde aliqua reſpondeat (§. 169.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Nihil exiſtit entis phyſici rationem habens, quod divinae Providentiae non ſubſit (§. 148.) Ergo &c.

Prob. conſ. Ideo quodlibet ens phyſicum divinae Providentiae ſubeſt, quia Dei praeſcientia & voluntate diſponi, gubernari;

atque in ſuum finem referri poſtulat (§. 145. §. 146.): ſed cuncta quae creaturarum ſunt, Dei preſcientia & voluntate diſponi, gubernari, atque in ſuum finem referri per realem & phyſicam praedeterminationem poſtulant: Ergo Deus ideo rerum omnium eſt providus &c.

Prob. min. Non minus entis phyſici rationem habet creaturarum exiſtentia, quam earum operationes & effectus; eo quia omnium creaturarum operatio earum eſſentiam conſequitur (§. 158.): Atqui creaturarum exiſtentia praedeterminari a Deo requiritur, nec a ſe habet ut exiſtat: Ergo praemoveri a Deo perinde poſtulat, ut operetur.

Demonſtratio III. Soritica methodo: Creaturarum operationes & effectus intra futurorum contingentium numerum continentur: Quae contingentia ſunt, a Deo in ſua voluntate cognoſcuntur, eaque a poſſibilium ſtatu ad futurorum conditionem nonniſi divinae voluntatis placito tranſeunt (§. 119.): Quae in ſua voluntate tanquam cauſſa cognoſcuntur, libera ab ipſo voluntate diliguntur (§. 91.): Quae a Deo li-

bera

bera voluntate diliguntur, effectiva voluntatis ſuae dilectione amantur (§. 86.) illis exiſtentiam, aliaque bona tribuendo (§. 82.): Quae effectiva dilectione amantur a Deo, ejus Providentiae ſubduntur (§. 148.): Quae Dei Providentiae ſubjiciuntur, praeſcientia & voluntate ſua tanquam rerum omnium cauſſa diſponuntur, gubernantur, atque in ſuos fines referuntur (§. 145. §. 146.): Quae ita reguntur, Dei ipſius concurſu ſive virtute indigent (§. 151.), & ea quidem ſimultanea (§. 162.): Quae concurſu indigent ſimultaneo, Deo perinde indigent, qui per ſe ſe operetur (§. 155.), & actione ſua omnium effectuum in creaturis exiſtentiam *immediate* attingat (§. 156.), atque *immediatione ſuppoſiti* (§. 160.): Quae hujuſmodi concurſu attingi poſtulant, ſcientia & cognitione duce hunc ſibi praeſtari & accomodari concurſum petunt (§. 164.): Quae ita concurſum habere petunt, Dei voluntatem primam rerum omnium cauſſam agnoſcunt (§. 166.): Quae Dei voluntatem primam rerum omnium cauſſam agnoſcunt, ab illa perinde ſunt, a quo ipſa contingentia depen-

dependent (§. *167.*): Quae a Dei voluntate ſunt, atque dependent, ab illa habent ut operentur (§. *168.*): Quae a divina voluntate habent ut operentur, eadem praedeterminari actione aliqua requirunt (§. *169.*), & ea quidem reali & phyſica (§. *170.*): Quae actione reali & phyſica praedeterminari debent, & ipſa realia in ſe & phyſica eſſe requiruntur: Quae realia & phyſica ſunt, divinae Providentiae ſubduntur (§. 148.): Ergo Deus ideo rerum omnium eſt providus, quia cuncta quae creaturarum ſunt praedeterminat.

COROLLARIUM.

§. *176.* Ergo niſi Deus phyſica & reali praedeterminatione creaturis concurreret, non tam Providentia careret, quam Deus per id non eſſet, per quod eſt id quod *a ſe* eſt (§. 11.).

THEO-

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT IV.

De vero Deo ab hominibus religioſe colendo.

HUc tandem aliquando omnis noſtra de Theologia naturali convertenda erat accuratiſſime inquiſitio, atque ad cultum ſupremo rerum omnium Conditori debitum, tanquam ad totius Metaphyſices apicem atque complementum, referenda neceſſario videbatur. Etenim parum certe hominum univerſitati profuiſſet ratione & mentis acie ad diſcernendum donari, libera voluntate potiri, aliiſque eximiis characteribus inſigniri: Parum quoque rationalibus hiſce ſubſtantiis verum Deum profuiſſet agnoſcere, ejuſque univerſa perſpecta habere attributa: Parum denique nobis caeteriſque intereſſe debuiſſet omnigenam illius erga creaturas providentiam

tiam

tiam feciſſe compertam; niſi aliqua Religione ipſum colere fas eſſet, atque aequiſſimum nobis congruo proſequi obſequio. Id enim perinde eſſe videretur, ac divinitus accepta munera, munificentiſſimo ipſo Largitore permittente, inertiae atque otio nos debere committere, neque iis potius ad illius gloriam, quemadmodum decet, augendam uti perinde debere. Quum vero haec tam abſurda ſub tanto Numine contingere poſſe nefas ſit cogitare, ipſi idcirco infinite bono, totiuſque felicitatis noſtrae Auctori, ac tum maxime rerum univerſarum Supremo Domino, amor, obſequium, atque famulatus omni noſtrum ſedulitate ſunt impendenda. Illi ergo ſolum Deo Religionem denegare poſſunt, qui aut ipſum exiſtere, rebuſque humanis perpetuo conſulere inficiantur, aut qui eundem Religione noſtra non delectari audent blaſphemare. Attamen quum digna illum veneratione & obſervantia proſequi non adeo pervium eſſe hominibus conſtet, hinc erudiri Divinitatis cultores neceſſe eſt. Quapropter tria potiſſimum extremo hocce Theologiae naturalis capite totidem Sectio-

nibus

nibus comprehenſa expendere accuratius, atque evidentius exhibere curabimus: I. Religionis erga Deum neceſſitatem, II. Divinae ad recte inſtituendos homines Revelationis Auctoritatem, III. Chriſtianae Religionis Inſtitutionem ab eodem vero Deo fuiſſe profectam.

SECTIO I.

De naturalis erga Deum Religionis neceſſitate.

QUanquam ratione noſtra ſuadente ad Enti omnium perfectiſſimo, ac Maximo obſequendum impelli debeamus; attamen naturalis rationis ejuſdem ductu edoceri nos neceſſe eſt, ut Religio noſtra tantae Majeſtati atque infinitae prae omnibus excellentiae ſit conſentanea. Quare ſuſcepti a nobis muneris ratio poſtulare videtur, ut non cultum ſolum Deo rite praeſtandum oſtendamus, verum etiam ut quidquid indignum, indecorum, & adverſum hac in re admiſceri poteſt, omni ſtudio repellamus invicteque refellamus. Nulla itaque interpoſita mora ſit

De-

DEFINITIO I.

§. 177. *Naturalis erga Deum Religio perfectus eſt amoris, obſequii, & omnimodae ſervitutis cultus illi exhibitus, quem naturae ductu & cognitione, nulloque accedente ſupernaturalis gratiae auxilio, hiſce officiis dignum eſſe putamus.*

SCHOLION I.

§. 178. Quum quaeritur de hujus vocis *Religio* poteſtate, imprimis occurrit Tullius (a) qui a *relegando* Religionem dictam fuiſſe contendit; quod ſit nimirum lecta Dei Opt. Max. cognitio; quam etiam Etymologiam probaſſe videtur D. Auguſtinus (b). At Lactantius eandem loquutionem a *religando* dictam putat; qua pietatis vinculo quodam Deo obſtringamur & noſmetipſos religemus (c). Si rem funditus ſpectemus, utrumque profecto verum apparet: Etenim Religio, quae germana eſt, & lectus quidam cultus in Deum eſſe fas eſt; is nimirum, qui divinae naturae ſit conſentaneus; & ligamen quoddam, cujus

vi

(a) Lib. II. De Natura Deor. Cap. XXVIII.
(b) Lib. X. De Civit. Dei Cap. IV.
(c) Lib. III. Divin. Inſt. Cap. XI.

Digitized by Google

vi, quaſi amoris, obſequii atque timoris totidem nexibus, Deo ipſo adſtringamur.

Scholion II.

§. 179. Vulgata ſatis eſt grammaticalis Latinorum *Pietatem* inter & *Religionem* diſtinctio; quippe prioris nomine internos omnes amoris, venerationis, obſequii, timoris aliorumque id genus virtutum actus complectuntur; alterius vero voce, externa tantum verae pietatis conſentaneis ſignis teſtimonia. Quaecumque tamen inſtituatur diſtinctio, eadem ſemper verum Deum reſpicere debet eo cultu, qui illi apprime & digne congruat.

Corollarium I.

§. 180. *Ergo ſincerus ille appellari nequit in Deum cultus, qui de Deo ipſo non recte ſentit.* Qui enim hujuſmodi eſt, Religionem ſuam ad impiam quam de illo habet opinionem, componit: Ergo Deo, qui Ens omnium eſt perfectiſſimum (§. 5.), conſentaneum cultum atque obſequium non exhibet.

Corollarium II.

§. 181. Binae igitur ſunt Religionis veluti partes; pura nimirum Dei cognitio deque

deque ipſo digna opinio; nec non tantae cognitioni accomodatus cultus. *Pietas eſt*, inquit Euſebius (a), *quando quis ad unum & ſolum Deum, quem verum eſſe confitetur, & qui revera eſt, reſpicit; & ſecundum eum vitam inſtituit.*

Corollarium III.

§. 182. Itaque ille vera Religione Deo obſequium praeſtare nequit, qui in alterutro peccat. Scite propterea Lactantius (b): *Non poteſt*, inquit, *nec Religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a Religione ſecerni; quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet; quod eſt ſapientiae; & honorari; quod eſt Religionis.*

Corollarium IV.

§. 183. Igitur ambae hae Religionis partes, ut *theoreticam* & *practicam* Religionem recte vocari poſſunt, ita ſoli Deo debentur. Illi enim deberi tantum recta ratio perſuadet, qui ſupremum eſt Ens, omniumque perfectiſſimum (§. 5.) qui unus eſt (§. 51.) qui maxime bonus eſt (§. 143.), qui rerum omnium Curator eſt

(a) Lib. I. Praeparat. Evangelicae Cap. I.
(b) Inſtitution. Divinar. Lib. IV.

eſt (§. 148.), & a quo univerſa penitus dependent (§. 160.). Scite propterea Philippus Mornaeus in ſuo vere aureo de veritate Religionis Chriſtianae Opere (a) *Minimus*, inquit, *inter homines colliget & illico inferet, Parenti obſequium, benefico Domino fidem, Gubernatori invocationem deberi. Haec neceſſario ſe conſequuntur, Deus, ſubditus, ſervitium. Donator, acceptor, gratiarum actio. Creditor, Debitor, obligatio*.

SCHOLION.

§. 184. Hactenus de eſſentiali & germana Religionis in Deum notione cuncta a nobis ſunt exhibita. Ea vero, quae adhuc exponenda ſuperſunt, quae Religioni ipſi adverſantur, ſpectant. Porro quum nonnulla habeantur, quae ſincero cultui adverſa Theologiae naturalis ope tantum detegi poſſunt, alia vero exiſtant falſa & verae Religioni oppoſita, quae illam nonniſi divinae Revelationis lumine labefactare dignoſcuntur, recte propterea ad rem noſtram factum arbitrabor de illis tantum dilucidam habere explanationem, ex qui-

(a) Cap. XX.

bus certi aliquid unius rationis luce conſtituatur. Univerſa itaque deinceps definienda aut *Atheiſmi*, aut *Superſtitionis* finibus continentur; quorum prior omnem Religionem directe configit atque ſubvertit, poſterior vero indirecte ſolum; dum pro vera falſam obtrudit Religionem. Igitur

DEFINITIO II.

§. 185. Atheiſmus impia profeſſio eſt, qua ejus ſectatores omnis omnino ſubſtantiae incorporeae negant exiſtentiam, neque ei ullum proinde cultum habendum eſſe contendunt.

SCHOLION.

§. 186. Atheiſmus, vel ab Epicureis & materialiſtis aſſeritur, quum omnia ex materia ac fortuito atomorum concurſu facta tradunt; vel a Pantheiſtis, ſive Spinoziſtis docetur, quum nullum Deum inter & hoc univerſum diſcrimen ponunt.

DEFINITIO III.

§. 187. Ad utrumque Atheiſmi genus referri etiam merito ſolet *Scepticiſmus univerſalis*, quo nihil certo ſciri nihilque comprehendi poſſe traditur; adeo ut omnia Scepticis (neque Dei excepta natura & exiſten-

exiſtentia) dubia ſint & incerta. Non negant Sceptici Deum quidem; at nec aſſerunt, nihil affirmare in utramque partem comparati.

DEFINITIO IV.

§. 188. Iiſdem erroribus accedit *Politichiſmus* (qui etiam *Machiavelliſmus* & *Hobbeſianiſmus* dicitur), qui in eo eſt poſitus, ut doceat, Religionem non ob aliam rationem eſſe curandam, niſi quia Reipublicae utilis admodum occurrit; adeoque ea ſolum utendum, quatenus rebus civilibus quammaxime prodeſt.

DEFINITIO V.

§. 189. Superſtitio cultus ille eſt, qui aut ex erroneis circa rem cultam dogmatibus & opinionibus manare ſolet; aut quum idem indigno exhibetur; aut quum falſis, abſurdis, minimeque Deo conſentaneis ritibus offertur.

SCHOLION.

§. 190. Tria in ſuperſtitione animadverti debent, eaque diſtincte ac paulo fuſiori oratione a nobis inpraeſentiarum expendi neceſſe ducimus, quae ex tradita definitione eruuntur. Quae omnium faediſſima

eſt ſuperſtitio tota Ethniciſmo continetur, qui deinde aut in *falſo*, aut in *indebito* cultu, juxta uſitatam ſcholarum loquutionem, conſiſtit. Utraque haec ſuperſtitio apud Paganos olim regnavit, atque etiamnum aliquantulum viget. Qui falſo cultu Divinitatem ſunt venerati, id potiſſimum praeſtigiis, incantationibus, circumcurſationibus, cruciatibus, impuris purificationibus, immundis mundationibus, barbaris iniquiſque punitionibus, aliiſque turpiſſimis caeremoniis praeſtiterunt, quemadmodum apud Plutarchum copioſe de ſuperſtitione veterum differentem videre licet. Qui vero indebita Religione aliquid tanquam divinum coluere, ii certe haberi debent, qui falſis numinibus honores tribuere haudquaquam ſunt veriti, aeque ac nos uno & vero Deo obſequium praeſtare ſolemus. Tota Gentilium, quae Poetica & Civilis appellabatur Theologia execrandis ſcatebat circa numina erroribus; quam quidem corruptiſſimam omnino fuiſſe ſatis abunde ex Tullii Libris *de Natura Deorum* colligitur. Quis enim ferat abſque ſtomacho Jovem hominum Deumque Parentem puellarum

puero-

puerorumque raptorem, foederum violatorem, bellorum auctorem? Quis Mercurium latronem, Martem adulterum, Venerem meretricem ita ſcortorum omnium Patronam magnificentiſſimam, ut Spartae in ejus honorem proſtitutae foeminae magno ſumtu alerentur, quae rem ſacram tanto numini facerent? Quis demum, ut alia plura ſilentio praeteream, audire aequo animo patiatur Bacchi, Cereris, Priapi ſordidiſſima ſacrificia, quae enarrare homines minus etiam honeſtiores plane pudet? Demonſtrarunt id uberrime antiquiſſimi illi & eruditiſſimi Chriſtianae Religionis Apologiſtae Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus, aliique; quorum verba hic recitare brevitatis ergo praetermittimus. Is demum cultus, qui abſurdis minimeque Deo conſentaneis ritibus exhibetur *Hyppocritiſmus* rite dici poteſt; ita ab *Hyppocritis* ſuperſtitioſis hominibus appellatus; qui ficta atque externa tantum Religionis imagine, omni procul animo religioſo poſito, Deum inaniſſimis obſervantiis ſe colere arbitrantur. Iſti ſunt Nebu-

 lones

lones illi, qui ovium pelle conte𝔠ti, & ſimulata totius habitus ac oris ſpecie incedunt; ut quos dum adſpicis ſanctimoniam ubique ſpirare putes, intrinſecus autem lupos eſſe rapaces Chriſtus Servator Noſter, quum Phariſeis improperaret, multo ante praedixerat (a). Quantum integerrimae atque immaculatae Religioni id genus homines incommodent & adverſentur, longum ac operoſum eſſet enarrare. Satis eſſe exiſtimo, ſi brevi ſermone dicam hoſce qui cucullati & pileati gradiuntur, qui ſordibus ex induſtria quaeſitis delectantur, qui Roſaria & coronas manu geſtantes ſemperque muſſitantes imagines & loca ſacra identidem oſculantur, Libertinis eo eſſe deteriores, quo occultus & clanculum inſidians inimicus aperto hoſte multo eſt perniciosior.

PROPOSITIO XII.

Cunctis hominibus ratione naturali recte utentibus Religio in Deum vera neceſſaria eſt.

§. 191. *Demonſtratio I.* Vera erga Deum Religio in pura ſupremi numinis cognitione,

(a) Matth. Cap. VII. verſ. 14.

ne, atque in recta fidei morumque inſtitutione conſiſtit (§. 181.), ut ſcilicet illi per ipſam cultu & amore obligemur, quem hiſce obſequiis dignum eſſe putamus (§. 177. §. 178.) Ergo &c.

Prob. conſ. Ea in Deum Religio cunctis hominibus neceſſaria eſt, quae ex digna de Deo ipſo cognitione ortum habet: Atqui homines ratione duce, quum dignam de Deo comparare poſſunt notitiam, tum quae ſincerae Religioni ſunt adverſa dignoſcere valent: Ergo &c.

Demonſtratio II. Quemadmodum *theoretica* & *practica* Religio recte diviſa fuit (§. 183.) ita utramque ſoli Deo deberi recta ratione perſuadentur omnes (§. 171.): Atqui utraque haec Religio cunctis hominibus ratione naturali recte utentibus neceſſaria eſt: Ergo &c.

Prob. min. Illud neceſſarium eſt quod intima perſuaſione cognoſcitur: Sed homines ratione naturali recte utentes intima perſuaſione cognoſcunt, ſupremum exiſtere Numen (§. 14.) Incorporeum (§. 47.) Sapientiſſimum (§. 123.), Potentiſſimum (§. 52.) Beneficum (§. 43.) univerſi

Creatorem (§. 51.) Providum (§. 149.): Ipſumque rationalem animam immortalem condidiſſe, adeoque alteram poſt corporis mortem ſupereſſe vitam, in qua poſſit eſſe beata vel miſera (Part. II. §. 79.): Ergo &c.

Prob. maj. Illud a cunctis hominibus intima perſuaſione cognoſcitur, & neceſſarium eſt, quod ipſorum menti bene inſtitutae conforme apparet, & cujus contrarium cum recta ratione pugnare noſcitur: Sed Deum exiſtere cum reliquis ejus attributis, eumque religioſis obſequiis dignum eſſe menti bene inſtitutae conforme apparet; atque ex adverſo, Atheiſmum, (§. 185.) Scepticiſmum univerſalem, (§. 187.) Machiavelliſmum (§. 188.) omnemque ſuperſtitionem cum recta ratione pugnare noſcitur: Ergo &c.

COROLLARIUM. I.

§. 192. *Ergo naturalis Religionis erga Deum neceſſitas relativa eſt:* Iis enim tantum neceſſaria eſt, qui naturali ratione recte utuntur.

Corollarium II.

§. 193. *Ergo naturalis Religio, tametſi vera & ſancta in ſe ſit, non omnibus tamen ſufficit:* Iis enim proficua haudquaquam eſt, qui naturali ratione abutuntur.

Scholion.

§. 194. Extra omnem controverſiam eſt poſitum, pleroſque homines ſibi relictos & divina gratia deſtitutos, aut mentis hebetudine congenita, aut dogmatum falſorum perverſitate & prava inſtitutione, aut demum voluntatis vitio in errores frequentiſſime labi, & perperam divino propemodum naturalis rationis munere ſaepe ſaepius abuti ſolere. Porrò quum Religionis naturalis erga verum Deum cognitio nonniſi accurato & recto ejuſdem rationis uſu comparari valeat, neque omnes homines exactam hujuſmodi inquiſitionem poſſint inſtituere; aut quod non omnes ea ſint mentis perſpicacitate praediti, quae neceſſaria eſt; aut quod non omnes huic ſtudio vacare poſſint ob multiplices vitae neceſſitates, atque negotia; aut quod facinorum inquinamentis ingenii aciem obtundant; reliquum eſt, ut nec de ipſa Religione

gione bene ſentire hoſce omnes contingat, nec item ad illius normam incorruptam vitam componere ſtudeant.

Corollarium III.

§. 195. *Ergo univerſi homines praeter rationis a Deo inditum lumen, aliquo inſuper indigent, quod ad Deum ſancte colendum omnibus & ſingulis poſſit eſſe commune.* Enimvero per Religionem juſta morum diſciplina comparatur; quam inviolabiliter ſervantibus poſt corporis mortem in altera vita praemium immortale conſertur.

SECTIO II.

De vero Deo Revelationis hominibus faciendae Auctore.

NEmini mortalium profuturam fuiſſe ullam omnino naturali ductu Deo exhibitam Religionem non ſolum inter conſtituta jam Metaphyſices noſtrae Dogmata locandum eſt, verum etiam ex pluribus, quae Catholici ſcriptores inconcuſſe oſtendunt ſatis & aeque firmum nobis eſt arbitrandum. Enimvero tametſi priu-

ſquam

ſquam caelitus Dei doctrina in hominum mentes delapſa fuiſſet, pauci nonnulli ab univerſorum hominum multitudine disjuncti, juxta eas quas ſemel recte imbibe-rant animo de Deo opiniones, eidem honorem Religionemque legitime impenderent; attamen divinae aequitati ſummaeque clementiae conſentaneum erat profecto, ut qui ratione, conſilio, voluntate aliiſque pluribus donati fuerant ejus liberalitate muneribus, aliquid etiam haberent, quod omnibus indiſcriminatim commune eſſet, & ad cujus methodum ſeipſos ſuaſque operationes conformarent. Id equidem, quum nihil melius Revelatione aliqua a vero Deo profecta excogitari valeat, illud ipſum in praeſens verſare eſt animus, ejuſdemque pro hominibus cunctis neceſſitatem demum ſtatuere; ſi tamen prius ſit

HYPOTHESIS I.

§. 196. *Tanquam indubitatum ex catholicis Dogmatibus eorumque ſacris Doctoribus mihi concedendum hic fore cupio, humanam naturam a Deo per originalem culpam deſciviſſe; eandemque etiamnum maculatam lapſamque perſeverare.*

Digitized by Google

HYPOTHESIS II.

§. 197. *Ex iiſdem ſacris fontibus depromtum hoc alterum ſuppono & aeque certum in praeſentiarum decerno; ex eodem ſcilicet originario crimine in ſingulos homines ex carnali Adae primi omnium Parentis ſucceſſione naſcituros, in culpae paenas totidem, mala plurima, miſeranda totius humanitatis everſione, defluxiſſe.*

SCHOLION.

§. 198. Quotquot de hominum lapſu ab originario illo integritatis, quo in Ada omnium Capite conditi ſunt ſtatu, in miſerrimam vitae corruptae conditionem orthodoxe ſcripſiſſe legimus, iidem unanimi conſenſione teſtantur, humanitatem; quemadmodum in feliciſſima bonorum ſpiritalium ubertate degebat, antequam Deo obtemperare renuiſſet; in denſiſſimas mentis tenebras ruiſſe, & effraenibus ſupra modum voluntatis ſuae, ſive appetitus motibus fuiſſe relictam. Re equidem vera nos quotquot ſumus prava adhuc corruptionis indicia in nobiſmetipſis inveniemus: Quamcumque hominis partem ſpectemus, nihil in illo nobis occurret, niſi intellectus te-

nebrae,

nebrae, voluntatis inconſtantia ac perturbatio, ratio paſſionibus mancipata, atque perpetuo pugnans ab homine ipſo diſcordia. Hinc ſcelerata animi conſilia, furentiſſimi affectus, efferatiſſimi depravatiſſimique mores, vitae demum quum publicae tum privatae longe lateque graſſantes calamitates. S. Leonis Magni inſignis locus eſt, & paucis de ſauciato per peccatum Adamiticum homine graphice expreſſa patet pictura: *Haec*, inquit, *voluntas*, *vaga*, *incerta*, *infirma ad efficiendum*, *facilis ad audendum*, *in cupiditatibus caeca*, *honoribus tumida*, *curis anxia*, *ſuſpicionibus inquieta*, *gloriae quam virtutum avidior*, *famae quam conſcientiae diligentior*, *&* *per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his*, *quae concupierit quam carendo*; *nihil in ſuis habet viribus*, *niſi periculi facilitatem*: *Quoniam voluntas mutabilis*, *quae non ab incommutabili voluntate regitur*, *tanto citius propinquat iniquitati*, *quanto acrius intenditur actioni* (a). Ex tanto igitur hominis a priſtina ſui dignitate in miſeranda exitia lapſu jure hic mihi liceat nonnullas philologi-

(a) De Vocat. Gentium Lib. I. Cap. VI.

logicas animadverſiones ſummatim contexere, quae praeſentem, & ab Orbis conditi pene principio retroactum humanitatis ſtatum confirmat atque egregie illuſtrat. Quae ex infecta & depravata voluntate huc uſque prodierint, & nobis etiam audientibus ac inſpectantibus emergant quotidie mala atque flagitia non commemoro; quod ſcilicet ad rem noſtram recta hic eorum conſideratio non perducat. Quantum vero humana ratio erroribus depravata olim fuerit, atque inanibus opinionibus fuerit imbuta; ſive in iis, quae ad Deum, quae ad ejus Religionem pertinent; ſive in morali Phyloſophia, in legibus, aliiſque ad rationem bene regendam idoneis, immenſum eſſet opus omnia ſingillatim diſtinteque recenſere. Quamobrem recte factum arbitrabor aliqua duntaxat, ſi eorum explanavero, quibus recentes etiam noſtri Philoſophi, quid ſentiant de memoratis rebus aperiatur, ut inde luculentiſſime conſtet tantum indigere hominem conſilio ſingulari caelitus illapſo, aliiſque ſupernis illuſtrationibus ad bene ſe erga Deum gerendum, quantum ad vi-

tae

Digitized by Google

tae naturalis conſervationem aeris reſpiratione indigere per ſe patet.

ANIMADVERSIO I.

§. 199. De origine Mundi in primis ii occurrunt Philoſophi male ſentientes, qui quanquam rationem ducem ſectari gloriarentur, attamen, aut ipſum aeternum, & ſine principio; ut Democritici, & Eleatenſes; aut neceſſitate aeterna factum; ut Peripatetici; aut ipſum caſu multoties conformatum; ut Epicurei; aut demum ipſum eſſe Deum; quemadmodum noviſſime Spinoziſtae; exiſtimarunt. De hominibus vero in hoc mundo degentibus, aut ipſos e telluri natos, ut quibuſdam viſum eſt; aliis vero ex aſtris delapſos, aut e mundana anima hauſtos; nonnullis autem cum corpore mortales; aliis etiam, longaevos quidem, ſed aut per corpora etiam brutorum vagantes; aut tandem interituros; aliquibus demum eos incertae naturae, & originis libuit aſſerere. Res equidem adeo ex Philoſophica hiſtoria comperta eſt, ut nemo id totum ignorare poſſit, vel mediocriter in illa verſatus, neque non ſatis demirari in quantis prophana Philoſophia

ineptie-

ineptierit, & quot rationis imbecillitas nullo ſuffulta Dei praeſidio, ſive deliramenta, ſive pugnantia, & aſſurda fuerit conſectata. De Dei vero natura nihil recti apud Philoſophos quum veteres tum recentes nonnullos occurrit. Chaldeis, Heracliticis, & Stoicis Deum igneum eſſe, neque a mundi anima diſſimilem fuit perſuaſum; immenſum quidem Pythagoricis, at mundi ipſius anima informatum, ex quo animi noſtri carperentur, tanquam exploratum habitum fuit; fato mancipatum eundemque impotentem, ac cum mundana anima perpetuo decertantem, Platonicis omnibus ſolemne fuit. Quid vero apud Stoicos Providentiae divinae indecorum non occurrit? Ipſam nimirum fato actam ſtatuebant. Quid apud Ariſtotelicos, Epicureos, atque Politicos? Eandem nempe definiebant aut ſublunaria noſtra non attingentem, aut in nihilo occupatam, aut cum fortuna & caſu conjunctam. Non equidem me latet popularium Deorum turbam cum irriſione & contemtu a Philoſophis fuiſſe receptam; verum aut Deo malorum omnium Principium coaeternum adjunxerunt,

runt, aut Mundi fabricam & regimen in plures diviſere, ſcilicet ignari homines originis ſuae Auctorum, perplura atque incerta vagarentur, nec quid colendum ſibi eſſe ſcirent. Celebris hac ſuper re Tullii ſententia eſt, quum de Deorum natura pluribus diſſerit: *Qui Deos eſſe dixerunt*, inquit ipſe, *tanta ſunt in varietate ac diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias*. Ex quibus de Dei natura nec non de Mundi origine tam abſurdis impiiſque opinionibus ſatis perſpicue apparet, quam inepta ſit humana ratio, niſi divinis notionibus informetur, & ad hominum vitam ſincerae pietati conformandam illuſtretur.

ANIMADVERSIO II.

§. 200. Hiſtoriam philoſophicam ſi perlegamus tam putidi occurrunt Veterum errores in morali Philoſophia, ut ipſam merito pudere debeat imbecillitatis ſuae. Ac quum ea potiſſimum Philoſophiae parte, quae tota legibus & officiorum praeceptis conſtat, genus humanum indigeat, ut recte & praeclare vivat, continuo intelligitur quam parum ſit in ſola humana ratio-

ne omni divina inſtitutione deſtituta, ad bene beateque vivendum, firmitatis atque praeſidii. Principio de fine bonorum atque malorum incerta omnia apud Philoſophos, qui ſolam ſunt naturam ducem ſequuti. Unus Cicero in iis libris, quos elegantiſſime ea ſuper re conſcripſit id copioſe docebit: Laertius quoque in nulla veteris Philoſophiae parte enarranda, ea quae de *finibus* eſt, uberior fuiſſe videtur. Quum itaque ſupremo hominis ignorato fine; ut egregie Ariſtoteles & poſt ipſum ſapientes omnes monuerunt; ea etiam conſentanea media neſcire neceſſe ſit, quorum lumine atque praeſidio ad illius conſequutionem pertingamus; aut ſaltem in iis eligendis haeſitare, & incertos perpetuo haerere; illud etiam efficitur, ut tota hominum vita perturbata ſit. Deinde illud etiam adcedit, quod praecipuum eſt hujuſce ignorationis, circa ultimum humanae vitae finem, conſectarium; quod nimirum de ejuſdem vitae norma, atque praeceptis moralibus, aut nihil Philoſophi docuerint certi, atque omnibus rati, aut omnino iſthaec abſtulerint, aut, quod tantundem eſt, eos

con-

conſtituerint corruptae aethices canones; quae perdendae vitae magis, quam regendae eſſent aptiores. Itaque nihil eſſe natura juſtum, aut injuſtum, honeſtum, aut turpe, ſed omnia ex conſuetudine humaniſque legibus originem trahere, pro vario regionum populorumque ſtatu, eorum plures affirmarunt: Quemadmodum idem traditum fuiſſe typiſque noviſſime excuſum ab Auctore ejus operis, cui titulus *De l'Eſprit* celebris fama eſt. Haud equidem diffiteor, veteres Philoſophos de jure naturae, & officiis ampliſſimis diſputationibus diſſeruiſſe: Verum incerti de fine bonorum, de regulis quoque eidem conſentaneis perinde incerti, ſecum etiam pugnantes ſibique perpetuo inconſtantes in eorum libris deprehenduntur. Praeterea, aut ea excogitarunt, quae non iis hominibus qui ſunt, ſed iis tantum, quos illi comminiſcebantur, erant conſentanea; aut quae ad inane quoddam honeſtatis idolum referri ſolum poterant; quemadmodum de Platonicis & Stoicis vulgata eſt hiſtoria. Longum profecto eſſet hic ſingillatim & accuratiori animadverſione cuncta perſequi hac

de re velle, ut mentis humanae obtuſa per originalem labem vis, ejuſque infirmitas luculentius pateſceret. Quare ad alia non minus ſcitu neceſſaria tranſeamus.

ANIMADVERSIO III.

§. 201. Nihil certe mirum videri debet, Ethnicos Philoſophos tam impia de divinis rebus, & tam ridenda de caeteris ad Religionem moreſque ſpectantibus fuiſſe opinatos. Id porro invicte confirmat homines peccato ſauciatos atque ex vitiata radice progenitos, abſque ſupernaturalis luminis ductu, debuiſſe caecutire. At vero quum inter Hebraeos ac deinde inter Chriſtianos caeleſti revelationis luce perfuſos innumeri ex Eccleſiaſtica hiſtoria inveniantur, qui quum paulo liberius philoſophari voluerint, atque unam rationem ducem ſequuti a Prophetarum Apoſtolorumque inſtitutionibus diſceſſerint iiſdem ſe immiſcuiſſe erroribus, quibus Ethnici abſque Revelatione, legantur; non parum conſideranti negotii faceſſit, ac continuo ejus rei cauſſam non adhuc ſacrorum ſtudiorum dogmatibus & eruditionibus initiatus inveſtigare conatur. Nimirum non alia eſſe po-

teſt

teſt cauſſa, niſi quod una humana ratio, quae ex naturae notionibus informatur, homini ad pietatem probe inſtituendo inepta plane habeatur. Caeterum Hebraeos atque Chriſtianos non priſcis ſolum, verum etiam recentibus temporibus ſuperſtitione & impietate Dei doctrinam defaedaſſe, prolixa eſſet hiſtoria: Quare priores praetereo; quorum Cabaliſtae, Fataliſtae, Epicurei, & circa Metempſicoſim Pythagorici fuere permulti; & ad Chriſtianos animadverſionem converto. Unde Valentini atque Marcionis enata deliria? Unde peſtifera Manichaeorum labes? Unde Pelagiani prodiere? Unde demum reliqua pene innumera errorum monſtra? Nempe omnibus eadem cauſſa, una & quidem corrupta ratio dux, una nimia Philoſophiae admiratio, unus demum divinarum Inſtitutionum contemtus. Ex eodem quoque derivatum fonte illud eſt arbitrandum, cur nimirum in Italia XIV. ac XV. Eccleſiae ſaeculis; quum Peripatetica atque Platonica Philoſophia nimis pleriſque admirationi eſſet; in tot ridicula, abſurda & impia lapſi fuerint Patricius, Cardanus, Pomponatius,

Ceſalpinus, Claudius Berigardus, Coſmas Rugerius, Brunus Nolanus, aliique permulti. Etenim, quum in tota Europa illa philoſophandi ratio non ita pridem invaluiſſet, quam Revelationem divinam deſerentes aut non curantes, ſolo naturae lumine uti homines caeperint; hinc etiam Machiavelliſmus, Hobbeſianiſmus, Socinianiſmus, Deiſmus, Atheiſmus, aliaeque id genus Philoſophorum ſectae perniciosiſſimae invaluerunt. Verum longiora haec viderentur, quam par eſſet quae ſuperſunt ſi harum enarrationum fines vellemus attingere: Quare ſit pro brevitate propoſita

ANIMADVERSIO IV.

§. 202. Mores nunc nobis eorum populorum ſpectare lubeat, qui nullo adhuc divinae veritatis fulgore fuere perfuſi, ut inde perſpicere facili negotio valeamus, quo tandem foeditatis abſque caeleſti Inſtitutione evadere homines queant. Horum ergo morum duo video eſſe genera; quorum prius ad Civilem, alterum ad Religioſam vitam ſpectat. Qui mores occurrunt apud Ethnicos erga Deum adhibiti, ii certe ſunt, quos juxta nefandas ſuperius commemora-

mora-

moratas Philoſophorum opiniones (§. 199.) a gentibus Dei doctrina deſtitutis facile eſt fuiſſe adhibitos: Quae tamen Religio nonniſi nomine tenus & falſo omnino eſt appellanda. Qui autem Civilem vitam reſpiciunt univerſos ritus atque Myſteria complectuntur, quae a Poetis nec non a Veteris Theogoniae ſcriptoribus traduntur, quum de ſingulis Ethnicorum ſuperſtitionibus agunt. Incredibile itaque pene dictu eſt quanta & quam nefanda eſſet olim myſteriorum Eleuſinorum, *ex. gr.*, Orphicorum, Dianae, aliorumque turpitudo. Pluribus id evincunt veteres Chriſtianae Religionis Apologiſtae Arnobius (a) & Auguſtinus (b); de quibus etiam Clemens Alexandrinus (c) ſe pudere teſtatur illa accurate enarrare, quae tot Gentes facere non puduit. Bacchanalia ludos fuiſſe Baccho ſacros ignorat nemo; quum tamen ebrietatis, impudicitiae, atque omnigenae foeditatis totidem eſſent exercitationes, adeo ut jure Varro apud modo laudatum eundem

 Augu-

(a) Lib. XI.
(b) Lib. VI. De Civit. Dei Cap. IX.
(c) Exhortat. ad Gentes.

Auguſtinum (a) *emotae mentis homines* bacchantes hoſce appellaverit; Senatuſque Romanus, quum primum Romam invecta fuiſſent, veluti impuriſſimam urbis depravationem vetuerit; quemadmodum Livius celebris eſt Auctor (b). Quis praeterea abſque rubore ſceleſtiſſimorum hominum apotheoſim patiatur ab Ethnicis ſaepe factam auſcultare aut in monumentis perlegere? Quis meretrices publico honore cultas? quas lupanaris Magiſtras fuiſſe ex vetuſta hiſtoria demonſtravit Lactantius (c). Nihil ego nunc de Venere dicam inter Deas relata, cujus impuriſſimos amores theatra omnia perſonabant; nihil quoque de Floralibus feſtis proferam, in quibus, ut Lactantii ex praelaudato loco verbis utar; *praeter verborum licentiam, quibus obſcaenitas omnis effundebatur, exuebantur etiam veſtes, populo flagitante, meretrices, quae tunc mimorum fungebantur officio, & in conſpectu populi uſque ad ſatietatem impudicorum luminum cum pudendis moribus detine-*

(a) Ibidem.
(b) Hiſtor. Lib. XXXIX.
(c) Divin. Inſtit. Lib. II. Cap. XX.

tinebantur: Quae Lactantius ita narrat, ut ad tempora uſque ſua perſeveraſſe ſatis indigitet: Nihil tandem de obſcaenis Priapi factis afferam, in quibus Auguſtino teſtante (a), omnis morum pudicitia ab hominibus exuta fuiſſe videbatur. Sed eſt praeterea, quod magis exhorreamus: Nemini namque ignotum arbitror, humanis hoſtiis apud Ethnicos falſis Numinibus fuiſſe ſacrificatum, ut Religio, quae hominibus conſervandis e Caelo delapſa praedicabatur, in ſaevam deinde ſuperſtitionem converſa, iis potius perdendis extirpandiſque incubuiſſe videretur. Mirum dictu eſt quot gentes in haec crudeliſſima facta velut furioſae & Religionis phanatiſmo percitae irruerint! Pluſquam triginta Nationes hiſce nefandis ſe ſe polluere ſolitas recenſuit Euſebius (b), plureſque alias Viatores recentes noſtri detexerunt, quos inter Lomejerum quiſque adeat (c), tum Petrum Petitum conſulat (d); in quibus nihil haec ab eo ritu differre conſtabit, quo a Romanis ipſis

(a) Ibidem Cap. IV.
(b) In Praeparatione Evangel.
(c) De Gentium Luſtratione Cap. XXII.
(d) De Antropophagis Lib. XI. Cap. IX. & X.

ipſis Lactantii aetate Latialis Jupiter humano ſanguine colebatur. Quae igitur Pietatis & Religionis germana notio in hujuſmodi animis eſſe poterat; cujus eſſe debet homines manſuefacere, alios in aliorum opem excitare, virtutemque humanis cordibus inſerere, non vero de hominibus immanes belluas efficere, ac Deo ſacrilegum & ſummopere criminoſum cultum praeſtare?

ANIMADVERSIO V.

§. 203. Quod magis, magiſque abſurdum inter veteres, atque etiamnum inter modernos Affricae, Aſiae, atque Americae Populos videri debet, illud eſt, quod a nobis etiam ſuperius cum vera divinitate pugnare ſatis perſpicue, ut arbitror, demonſtratum fuit (§. 53.); Polytheiſmum videlicet in uſu fuiſſe, nec tantum ingenii, & recti conſilii habuiſſe eas gentes, ut ſe a tam craſſo errore vindicarent. Quae hac ſuper re hiſtorica expoſitione de antiquis Populis referri poſſent, conſulto, & brevitatis ergo praetermittimus, quod nimirum nemo exiſtere valeat, qui ex conſtanti hiſtoriae fama in dubium audeat revoca-

vocare. Quare levi calamo animadvertenda ea ſunt potius, quae ad praeſentium Nationum, quae Chriſto non adhuc dedere nomen, caeremonias nefandas, atque impias erga eorum Deos ſpectant. In Philippinis Inſulis primum feminae Sacerdotum munere funguntur, quae ut olim in Floralibus Romanis nudae, ac pudorem omnem exutae, in Deorum ſuorum cultum, ſe ſe palam proſtituere gloriantur. Naſingae in India, carnis ſuae fruſta obtruncant, & cruore adhuc fumantia intrepide Diis immolare non formidant. Sacrificia humana in Inſulis Ceylon, Mexicana, Peruana, Terrae-Firmae, Virginiae, aliiſque, non Diis ſolum exhibere ſaepe habent in more; verum etiam Diis, qui a Sole, Luna, Aſtris, Brutis etiam turpioribus, ſimiis nempe, Serpentibus, aliiſque id genus nullatenus differunt. Alibi quoque, velut in Tartaria, Dii duo, Coeli unus, Terrae alter habentur; quemadmodum etiam in Inſula Formoſa, atque inter Huttentottos duo perinde Dii, boni unus, mali alter auctor exiſtimantur, atque coluntur. Niſi exhorreſceret animus majora adhuc de caete-

caeteris extra Europam Nationibus non facta ſolum ſceleſta, atque ſummopere ſuperſtitioſa, verum etiam de Deorum multitudine dogmata recenſere, animadverſio haec noſtra id facere ſuaderet. Interim vero ad alia utilia magis, magiſque neceſſaria gradiamur.

Hypothesis I.

§. 204. *Ex Theologorum invicem conſentientium diſciplina tanquam ratiſſimum ſtatuendum eſt; Deum Opt. Max. doctrinam ſuam revelantem nulla ipſius potentia neque per ſe neque per alios poſſe mentiri, hominesque in errorem perducere.*

Scholion.

§. 205. Vel concidat omne caelum, omniſque natura; divina tamen veritas conſiſtat neceſſe eſt. Enimvero Deus, ut luculenter pluribus docet Auguſtinus, *quum ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt* (a). Unus profecto tantum eſt Deus Omnipotens (§. 52.); attamen, *dum de omnipotentia Dei* (ſic idem effatur Auguſtinus (b)) *tam multa di-*

neri-

(a) Lib. I. De Symbol. Cap. I.
(b) Lib. XX. De Civit. Dei Cap. XXV.

uerimus, *ſi volunt invenire quod Omnipotens non poteſt*, *habent prorſus: Ego dicam; mentiri non poteſt. Dominus autem id mihi manifeſte videtur confirmare*, *quum ait:* Caelum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt (a).

HYPOTHESIS II.

§. 206. *Vera miracula nonniſi a Deo aut ab ipſius in naturam imperio prodire valent.*

COROLLARIUM I.

§. 207. *Ergo quum Deus miracula patrat*, *infallibile Revelationis veritatiſque ſuae teſtimonium profert.* Recte propterea S. Thomas (b): *Eſt autem Dei proprium*, inquit, *quod naturae leges immutare poſſit*, *ſupra naturam aliquid operando*, *cujus ipſe eſt Auctor: Convenientiſſime igitur probatur*, *aliquid eſſe divinum*, *per opera*, *quae ſupra leges naturae fiunt; ſicut quod coeci illuminentur*, *leproſi mundentur*, *mortui ſuſcitentur &c.*

COROLLARIUM II.

§. 208. *Ergo ad confirmandam erroneam Religionem*, *ſive ejus Revelationem portentoſa*

(a) Lucae Cap. XXI.
(b) Lib. IV. cont. Gentes Cap. LV.

toſa opera ipſe nequit ulla poteſtate adhibere. Ipſe namque quum revelat, neque per ſe neque per alios mentiri poteſt, hominesque in errores perducere (§. 204.)

HYPOTHESIS III.

§. 209. *Veteris Teſtamenti Codices diu ante epocham Chriſtianam Canonici ſemper habiti ſunt, & tanquam divinae Revelationis Depoſitum inviolabile a Judaeis omni tempore cuſtoditi.*

SCHOLION.

§. 210. Pluribus oſtendunt Theologi & quotquot ſunt ſacrae Hiſtoriae, periti quod Hypotheſis loco & tanquam certiſſimum nobis inpraeſens eſſe lubet. Caeterum Veteris Teſtamenti Libros multo ante Chriſti ortum in unum collectos, eoſdemque in maxima veneratione penes Judaeos fuiſſe, unanimi conſenſione & veteres Hebraei, & Chriſtiani tradiderunt. Nam Origenes Vir in omnibus Litteris eruditus (a), & Epiphanius (b), & Hieronymus (c) narrant apud Hebraeos viginti duos tantum libros ſacros

(a) Apud Euſe. Lib. III. Eccl. Hiſt. Cap. XXIII.
(b) Haereſi III.
(c) In Prologo Galeato.

ſacros habitos fuiſſe; rejectis aliis, qui divinitatis characteribus non donabantur. Idem praeterea teſtatur Joſephus (a); qui quum eſſet doctiſſimus Judaeorum Sacerdos, & quidem Phariſaeus (quae ſecta in Judaica Republica admodum florebat inter caeteras) reſque ſacras omnes pertractaret, nemini proinde dubitare fas eſt, id ignorare potuiſſe; niſi omni hiſtoriae fidei derogare temere velimus.

HYPOTHESIS IV.

§. 211. *Tanquam demonſtratum, & communi omnium Theologorum calculo receptum ſtatuimus, Veteris Teſtamenti Libros in omnibus & ſingulis quum theoreticis, tum practicis, quae ubique continent, dogmatibus, ut a Deo revelante profectos fuiſſe, ita ſanctitatem doctrinaeque integritatem ad vitam recte inſtituendam tradidiſſe.*

SCHOLION.

§. 212. Adverſus Manichaeos toti ſunt Theologi omnes ut oſtendant, Legem Veterem Deum habuiſſe Auctorem, eamque bonam Judaeorumque pervicacium genio plurimum accomodatam fuiſſe. In hoc etiam per-

(a) Lib. I. contra Apionem Grammat.

perpetuus fuit S. Auguſtinus, a quo praecipue, tanquam a ſupremo omnium Doctorum duce, reliqui poſtmodum omni aevo ſaluberrimam Veritatis divinae doctrinam hauſerunt.

COROLLARIUM.

§. 213. *Ergo Legis Veteris Revelatio ad germanae erga verum Deum Religionis conſtitutionem ſufficiens eſt.* Ea namque ad veram Religionem ſufficere dicenda ſunt, quae ut theoretica & practica praecepta tradunt, ita purae Dei cognitioni & rectae vitae inſtitutioni omnino ſunt conſona (§. 211.)

HYPOTHESIS V.

§. 214. *Veteris Teſtamenti Libros conſulentibus liquido apparet, plura ibi in ejus doctrinae confirmationem portenta, & quidem ſolemnia, a Deo patrata recenſeri.*

HYPOTHESIS VI.

§. 215. *In omnibus ejuſdem Teſtamenti Codicibus nullus eſt, ſi inſpiciatur, qui non propheticus continuo videatur. Nullus item eſt, qui ſuas non prodat olim factas prophetias, & nunc adamuſſim opere completas.*

SCHO-

Scholion.

§. 216. Non ſequiores & recentes ſolum Theologi, verum etiam vetuſtiſſimi Patres id abunde demonſtrarunt. Tertullianus enim (a), Cyprianus (b), Euſebius Caeſarienſis (c), Auguſtinus (d); quibus nuper acceſſerunt Viri plurimi eruditiſſimi Huetius (e), Prideaux (f), Baldus (g), aliique, qui egregie rem hanc pertractarunt.

Corollarium.

§. 217. *Ergo Veteris Teſtamenti Codices prophetiis opere completis, tanquam a Deo revelante profecti, inviƈtiſſime confirmantur.* Quemadmodum enim Deus in mendacii robur miracula nequit efficere (§. 208.), ita neque in homines vim propheticam, ut per ſe liquet, nequit immittere.

Propositio XIII.

Revelationem omnibus hominibus ad Deum rite colendum neceſſariam fore, naturalis ratio abſque ulla ipſius Revelationis doctrina demonſtrat.

(a) Adverſus Marcionem.
(b) In Libris Teſtimon.
(c) In demonſt. Evangel.
(d) In Libris cont. Fauſtum.
(e) In demonſt. Evangel.
(f) In Hiſtoria Judaeorum.
(g) In defenſio. Prophetiar.

§. 218. *Demonſtratio I.* Abſque ulla Revelationis doctrina intelligitur, Religionem, quae omnibus & ſingulis debeat eſſe communis, ad Deum ſancte colendum, neceſſariam eſſe (§. 195.): Atqui Religio abſque Revelatione omnibus & ſingulis recta ſuadente ratione communis fieri nequit: Ergo &c.

Prob. min. Quae Revelatione deſtituta habetur Religio, naturalis eſt: Sed naturalis Religio, tametſi vera & ſancta in ſe ſit, non omnibus tamen ſufficere demonſtratur (§. 193.) Ergo &c.

Demonſtratio II. Naturali ratione omnes & ſingulos homines ad Deum rite colendum Revelatione indigere demonſtratur, quotieſcumque naturae ipſius praevio lumine, accuratiſque animadverſionibus ejuſdem Revelationis neceſſitatem edoceamur: Atqui ita ſe res habet: Ergo &c.

Prob. min. Vera in Deum Religio in integra ſupremi Numinis opinione, nec non incorrupta morum inſtitutione conſiſtit (§. 181.) ſive in conſentanea tantae Divinitati theoria & praxi verſari debet (§. 183.) Atqui utraque haec, natura ipſa docente,

ab

ab omnibus & ſingulis hominibus abſque Revelationis praeſidio exerceri non poſſunt: Ergo &c.

Prob. min. Naturae lumen docet homines infirmos, niſi auxilio adjuventur aliquo, ea non poſſe exercere, quae a bene valentibus atque in integro ſanitatis vigore conſtitutis praeſtari queunt: Ergo &c.

Prob. conſ. Homines qui modo ab Adam primo omnium Parente naſcuntur; quemadmodum in illo omnes peccaverunt (§. 196.), ita culpae poenas totidem, mala plurima intellectus videlicet tenebras, voluntatis inconſtantiam perturbationemque, rationem paſſionibus mancipatam, ac miſerandam demum totius humanitatis everſionem a Deo vindice meruiſſe expoſuimus (§. 197. §. 198.): Atqui univerſa haec prohibent, quominus ab homine tanquam ſi integro ſanitatis vigore frueretur, tum de Deo recta habeatur opinio, tum vita ad aequiſſimas Dei ipſius leges componatur, niſi illi Revelationis auxilium ſubveniat: Ergo &c.

Prob. min. Homo ſibi, ſuiſque vitiis atque infirmitatibus relictus; ſi Philoſophiae

ac totius humanitatis hiſtoriam conſulamus, adverſus immaculatam veri Dei Religionem non ſolum delinquere poſſe, verum deliquiſſe reipſa ſatis dilucide oſtenditur (§. 199. §. 200. §. 201. §. 202. §. 203): Ergo &c.

Corollarium.

§. 219. *Aut igitur naturae lumine Revelationis neceſſitas omnibus & ſingulis hominibus ad exercendam veram erga Deum Religionem adſtruitur; aut dicendum eſt, nullo homines cultu religari.* Hoc alterum falſum eſt omnino (§. 195.): Ergo reliquum eſt ut Revelationis Auctorem Deum fateamur.

Propositio XIV.

Quae in Veteri Teſtamento Judaeorum Populo Revelatio facta eſt, Deum habet Auctorem, a quo verae erga ipſum Religionis normam univerſi homines poſſent adhibere.

§. 220. *Demonſtratio I.* Ea Revelatio a Deo facta dicenda eſt, quam pro incorruptae Religionis norma ſemper & multo ante Chriſtianam Epocham Judaicus Populus agnovit: Atqui veteris Teſtamenti Codices diu ante Epocham Chriſtianam Canonici

nonici ſemper habiti ſunt, & tanquam divinae Revelationis depoſitum inviolabile a Judaeis omni tempore cuſtoditi (§. 209.): Ergo &c.

Prob. maj. Eam Revelationem a Deo factam Judaicus Populus ſemper agnovit, quam ad germanae erga verum Deum Religionis conſtitutionem ſufficere funditus inſpexit: Atqui reipſa eam ita eſſe cognovit (§. 210.): Ergo &c.

Prob. maj. Legis veteris Revelatio in antiquis & Canonicis Judaeorum Codicibus comprehenſa ſanctitatem doctrinaeque integritatem ad vitam rectae inſtituendam ubique tradere perpetuo agnita fuit (§. 211.); ad eandem inſuper confirmandam patrata a Deo ſolemnia portenta non ignorabatur (§. 214.): Ipſa quoque in omnibus ſuis Codicibus vim propheticam continebat & undequaque ſpirabat (§. 215.): Atqui univerſa haec Judaicum Populum merito compulerunt, ut eam Revelationem a Deo factam arbitraretur, quam ad germanam erga verum Deum Religionis conſtitutionem ſufficere funditus intelligebat: Ergo &c.

Prob. min. Ea Revelatio menti cuipiam ratione bene utenti ad veram Religionem ſufficere apparet, quae incorrupta de divinitate Dogmata docet, quaeque immaculatam morum coſtitutionem ſervandam tradit; quae inſuper portentis & propheticis loquutionibus, veluti totidem Dei ſigillis communitur: Atqui ita ſe habet Revelatio Judaicae Genti olim facta (§. 211. §. 214. §. 215.): Ergo &c.

COROLLARIUM.

§. 221. *Ergo naturali ratione, & abſque ullo Revelationis lumine Veteris Teſtamenti Revelatio hominibus neceſſaria ad verum Deo cultum exhibendum cuipiam debet apparere.* Enimvero naturali ratione, ac ſemota quavis caelitus facta Revelatione demonſtratur, a Deo aut ab ipſius in naturam imperio tantum ortum habere miracula (§. 206.), quibus ipſe ad veritatis ſuae robur infallibile utitur (§. 207.), quaeque nulla poteſtate ad mendacii confirmationem valet adhibere (§. 208.). Liquido conſtat praeterea, naturalem tantum Religionem non omnibus ſufficere (§. 193.); hominesque propter originarium Adae crimen

men caeleſti doctrina indigere (§. 195.) quae divinis inſtructa ſit characteribus (§. 221.): Ergo quum veteris Teſtamenti Revelatio totum quod poſtulatur habeat, idque naturae lumine perſpiciatur, conſequitur, quod paulo antea inferebamus.

SECTIO III.

De vero Deo Religionis Chriſtianae Inſtitutore.

QUum Revelationis, quae a Deo Opt. Max. ſit profecta, neceſſitas hominibus ad germanum cultum informandis tanta eſſe debeat, quanta in praevia hac Sectione demonſtratum a nobis eſſe non dubitamus; reliquum eſt, ut ratione duce ita ipſam extollamus, ut ad unam Chriſtianam Religionem, quaſi digito monſtrandam, iiſdem hominibus traditam adſtruamus. Id mihi igitur, tametſi operoſum ac perdifficile, propoſitum eſt inpraeſens, atque huc ingenii vires omnes, licet ferendo oneri impares, ſpectabunt; quo certe, ut me fauſto pertigiſſe contigerit, quum Deo bonorum omnium munifico Largitori

laudes atque ampliſſimas gratias referre mihi neceſſe erit; tum vos ab hiſce Inſtitutionibus ſenſero debere dimittere, voſque tempeſtive commonefacere, uſque huc, nec ultra, ſi Metaphyſici tantum fungi munere velim, mihi eſſe progrediendum. Quum vero totum Revelationem inter & Chriſtianam Religionem vinculum in Characteribus quibuſdam contineatur, quorum dilucida notione pateat eam, quae caelitus demiſſa eſt, Doctrinam Jeſu Chriſti Dei & hominum Mediatoris cultum ſpectare, in hiſce idcirco definiendis illuſtrandiſque interim diſtineri delectabimur.

D E F I N I T I O I.

§. 222. *Miraculorum a Chriſto, quum adhuc in humanis ageret, patratorum praecipuus character in eo conſiſtit; quod ipſe miranda prorſus in doctrinae, quam tradidit, confirmationem effecerit.*

S C H O L I O N.

§. 223. Maxima Chriſtianae Religionis ſupra vulgares Gentium ſuperſtitiones praeſtantia in eo praecipue eſt poſita; quod nimirum, ut a Chriſto ejus Auctore ſanctiſſimis Dogmatibus atque eximiis praecce-

ptis

ptis profecta eſt; ita haec eadem pluribus miraculis ab ipſo legitur confirmata. Inter haec non pauca, quae Evangelicis monumentis extant exarata, praecellens reliquis illud eſt, quod in reſurrectione Lazari geſtum fuit; quemadmodum Joannis Evangeliſtae teſtimonio edocemur (a). Celeberrimum quoque alterum fuiſſe portentum, quod idem enarrat Joannes (b) de Caeci a nativitate illuminatione, quod ad Divinitatis Chriſti manifeſtationem potiſſimum fuiſſe deſtinatum ex ejuſdem Hiſtoriae Sacrae contextu manifeſte liquet; quum nimirum de eodem ſanando Caeco ibidem dicitur (c): *Neque hic peccavit, neque Parentes ejus; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Caetera, quae tum ab Joanne, tum ab aliis Evangeliſtis prodigia Chriſti recenſentur; & quidem aeque illuſtria, conſulto brevitatis ergo praetermittere ſtatuimus; eo quia ſive unum tantum, ſive plura ejuſdem Chriſti afferantur facta ad divinae veritatis robur, ſive ut ajunt, ſigillum, portenta, perinde eſt.

De-

(a) Cap. XI. verſ. 4. & ſeqq.
(b) Cap. IX.
(c) Verſ. 3.

DEFINITIO II.

§. 224. *Secundus Divinitatis Chriſti ejuſque caeleſtis prorſus Doctrinae character ex horrenda ſemperque memoranda in Judaeos ab ira Dei immiſſa ultione luculenter deſumitur:* Adverſus eam Nationem nimirum vindicta a Deo ſumta eſt, cujus ſaeva & perfida ſententia Chriſtus ſuae Divinitatis Praedicator Crucis ligno confixus pependit.

SCHOLION.

§. 225. Quam terribilis fuerit Judaeorum ruina, diſperſio, atque horrendum eorum a florentiſſimo Sacerdotii & Imperii ſtatu excidium, nemo eſt, qui non plane in hiſtoria ſit hoſpes, ignarus. Luculentum vero eorum omnium, quae Romanorum armis Hieroſolymis atque in tota Palaeſtina contigerunt, teſtimonium ubique accuratiſſimum in celebri Joſepho Flavio ejuſdem nationis Hiſtorico occurrit (a). Urbis totius vaſtiſſimae, Templi ditiſſimi atque magnificentiſſimi a fundamentis everſionem & conflagrationem; quemadmodum tum a commemorato tum ab aliis Scriptoribus referuntur; ita Chriſtum Dominum multo

ante

(a) De bello Judaico.

ante fuiſſe eadem vaticinatum, Judaeiſque comminatum legitur (a): Tametſi vero tantum ejus Populi excidium ſingularibus divinae vindictae argumentis palam oſtenſum fuerit, ac tum interfectorum tum captivorum numerus pene immenſus enarretur; attamen Judaica per omnes gentes ita facta diſperſio, ut nulla deinde induſtria opibus atque potentia in Regnum atque Religionem ad noſtra uſque tempora valuerit adunari, id tantam menti bene informatae vim facit, ut idipſum ab ultrice Dei voluntate prodiiſſe firmiſſime debeat arbitrari. Qui rem probe demonſtratam ac perſpicuis validiſque rationibus communitam noſcere cupit, Chryſoſtomum (b), Nazianzenum (c), Theodoretum (d), alioſque adeat. Quum igitur Chriſti ſceleſtiſſimi interfectores criminis adhuc paenas dare illas comperiantur, quas Chriſtus ipſe, priuſquam haec contigiſſent, aperte praedixerat;

(a) Lucae Cap. XIV. verſ. 42. Matthaei Cap. XXIV. verſ. 7.
(b) Orat. II. & III. adverſ. Judaeos, tum in Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus*.
(c) Orat. III. contra Julian.
(d) Lib. III. Hiſt. Eccleſ. Cap. XX.

rat; dicendum jure videtur, tantum miraculum Filii Dei Divinitatem invicte confirmare.

Definitio III.

§. 226. *Tertius Divinitatis Chriſti ejuſque a ſe conditae Chriſtianae Religionis veritatis character ex admiranda petitur Reſurrectione, quam prius de ſeipſo fore eventuram clare fuerat teſtatus.*

Scholion.

§. 227. Jeſum Chriſtum tertia poſt ejus necem die fore a mortuis ſuſcitandum, ipſemet diſertiſſime teſtatus fuerat; quemadmodum Joannis enarratione (a) legenti patere poteſt. Reipſa vero, ut praedixerat, reſurrexiſſe tanta ſignorum atque invictiſſimorum argumentorum evidentia infenſiſſimis etiam Judaeis inimicis conſtitit, ut nunquam Evangeliſtis ejuſdem facti coaevis enarrantibus obſiſtere & contradicere auſi ipſi fuerint.

Corollarium.

§. 228. Quum ergo miracula patrare ſolius Dei proprium ſit (§. 206.), neque ipſe in mendacii confirmationem ea poſſit adhibere

(a) Cap. II. verſ. 19. nec non Cap. VIII.

bere (§. 208.), conſequitur, *ſtupendam Chriſti Reſurrectionem ipſius Divinitatem, atque Evangelicas Inſtitutiones firmiſſime credendas exponere.*

DEFINITIO IV.

§. 229. *Quartus Divinitatis & Chriſtianae Religionis character ex admirabili Mundi ad Crucis cultum converſione depromitur.*

SCHOLION.

§. 230. Quinam fuerit univerſorum hominum in moribus, opinionibus, variiſque Religionibus ſtatus, quum Chriſtianae Veritatis Praedicatores in omnes Orbis Regiones ſunt diſperſi, ſatis, ut reor, ſuperius (§. 199. §. 200.) adumbrare ſtuduimus. Attamen una Piſcatorum rudium atque ineruditorum praedicatione, & Dei opitulante virtute, abſque armorum potentia totam hominum univerſitatem ad Chriſti obſequium fuiſſe perductam, facti evidentia nimium oſtendit. Mundus nimirum ad credendum permotus eſt, hominem Crucifixum Dei Filium eſſe, ad alia difficillima recipienda Myſteria, ad amplectendam legem carni & ſanguini repugnantem, atque ad majorum ſuorum antiquos mores Reli-

gio-

gionemque deferendam. Id tam mirum videri debet, & ſupra humanas vires poſitum, ut totum divinae potentiae referri debeat acceptum; quemadmodum inter reliquos Patres egregie hiſce verbis argumentatur S. Joannes Chryſoſtomus (a). *Non enim moverunt arma* (Apoſtoli), *nec expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine uſi ſunt, ſed verbo ſimplici & multam habente virtutem ac miraculorum oſtenſionem: Crucifixum enim praedicantes, & miracula facientes totum orbem ſibi ſubjecerunt; propterea dicit:* Dabit verbum evangelizantibus virtute multa: *miracula ſignificans. Etenim mira virtus erat, piſcatorem, publicanum, tabernaculorum opificem nudis praeceptis mortuos ſuſcitare, Daemones expellere, mortem abigere, Philoſophorum linguam mutam facere, rhetorum ora conſtringere, Principes ac Reges ſuperare, Barbaris, Graecis, & omni generi hominum imperare. Nam omnia haec verbo illi perfecerunt, & virtute multa mortuos in vivos mutaverunt, peccatores in juſtos, caecos in videntes, & morbos naturae*

(a) In Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus.*

turae ac malitiam animae expulerunt. Eadem aut pene ſimili argumentatione ad id oſtendendum utitur S. Auguſtinus (a): *Nam Fides*, inquit, *Chriſti ſub Auguſto & Tiberio, quo tempore maxime eruditio florebat, praedicari caepit, & tunc non ſolum populus, ſed multi ex ſapientibus crediderunt Reſurrectionem Chriſti, atque in Caelos Aſcenſionem, aliaque Myſteria, quae mens humana reſpuiſſet, niſi eam fieri potuiſſe atque factam eſſe divinitas ipſius veritatis, vel veritas divinitatis, conſtantiaque miraculorum ſigna monſtrarent, ut terrentibus & contradicentibus tam multis, tamque magnis perſequutionibus praecedens in Chriſto, deinde ad novum ſaeculum in caeteris ſequutura Reſurrectio, atque immortalitas carnis, & fidiſſime crederetur & praedicaretur intrepide, & per orbem terrae publicaretur, ac faecundius cum Martyrum Sanguine ſereretur*. Plura quoque, & quidem evidentiſſima ad rem noſtram argumenta occurrerent, niſi brevitatis ratio prohiberet. Ex omnibus vero efficaciſſimum conficitur Dilemma: Nam vel Apoſtoli

(a) Lib. XXII. De Civitat. Dei Cap. VII.

poſtoli Chriſti Servatoris Cruci a Judaeis confixi, aliorumque Chriſtianae Religionis Sacramentorum Praedicatores, haec omnia miraculorum ope Mundo perſuaſerunt; vel abſque ulla ſignorum exhibitione: Si prius afferatur, continuo convincitur, eandem praedicatam doctrinam veram eſſe, Deumque (qui in erroris confirmationem portenta adhibere nequit) (§. 208.) habere Auctorem; ſin alterum concedamus, hoc ipſum majus eſſe portentum certo certius evincit; quod ſcilicet tantam Deus Apoſtolicis verbis efficaciam contulerit, ut homines nullo conſpecto miraculo ab incredibili morum foeditate ad tam arduam vitae immutationem celeriter converterentur.

DEFINITIO V.

§. 231. *Quintus Chriſtianae Doctrinae divinitatis veracitatiſque character ex ejuſdem Religionis a pluribus ſaeculis ad noſtra uſque tempora perſeverantia liquido eruitur.*

SCHOLION.

§. 232. Quot quantaque fuerit adverſus Chriſti Religionem plurimorum perſequutorum ferocia; prioribus potiſſimum ab ejus

inſti-

inſtitutione ſaeculis; longum eſſet hic hiſtoria perſequi velle. Attamen ex Eccleſiaſticis monumentis tam firmum & apud omnes conſtans eſſe inpraeſentiarum contendo, ut obſtantibus licet infenſiſſimorum hominum molitionibus, quae Chriſtus ipſe fuerat diſerte pollicitus (a) ad amuſſim impleta cernantur. S. Joannis Chryſoſtomi egregius locus, & vere aurea animadverſio veritatis hujuſce robur extollit: *Numera*, inquit ipſe (b), *quot Tyranni ab illo tempore adverſus ipſam inſtruxerunt acies, quot graviſſimas perſequutiones moverunt, quomodo toto priore tempore, quando novitia erat fides & nuper plantata, teneraeque hominum mentes, Gentiles regnabant, Tiberius, Cajus, Nero, Veſpaſianus, & Titus, & poſt illum omnes uſque ad Conſtantini tempora, & omnes illi, alii minus, alii ſaevius infeſtabant Eccleſiam; infeſtabant tamen omnes: Veruntamen inſidiae & machinationes illae omnes levius, quam aranearum telae diſcerptae ſunt; & ea quibus nos invadebant, & ea quibus inſidiabantur*

R   *citius*

(a) Matthaei Cap. XVI. verſ. 18.
(b) In Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus*.

laudes atque ampliſſimas gratias referre mihi neceſſe erit; tum vos ab hiſce Inſtitutionibus ſenſero debere dimittere, voſque tempeſtive commonefacere, uſque huc, nec ultra, ſi Metaphyſici tantum fungi munere velim, mihi eſſe progrediendum. Quum vero totum Revelationem inter & Chriſtianam Religionem vinculum in Characteribus quibuſdam contineatur, quorum dilucida notione pateat eam, quae caelitus demiſſa eſt, Doctrinam Jeſu Chriſti Dei & hominum Mediatoris cultum ſpectare, in hiſce idcirco definiendis illuſtrandiſque interim diſtineri delectabimur.

D E F I N I T I O I.

§. 222. *Miraculorum a Chriſto, quum adhuc in humanis ageret, patratorum praecipuus character in eo conſiſtit; quod ipſe miranda prorſus in doctrinae, quam tradidit, confirmationem effecerit.*

S C H O L I O N.

§. 223. Maxima Chriſtianae Religionis ſupra vulgares Gentium ſuperſtitiones praeſtantia in eo praecipue eſt poſita; quod nimirum, ut a Chriſto ejus Auctore ſanctiſſimis Dogmatibus atque eximiis praece-

ptis

ptis profecta eſt; ita haec eadem pluribus miraculis ab ipſo legitur confirmata. Inter haec non pauca, quae Evangelicis monumentis extant exarata, praecellens reliquis illud eſt, quod in reſurrectione Lazari geſtum fuit; quemadmodum Joannis Evangeliſtae teſtimonio edocemur (a). Celeberrimum quoque alterum fuiſſe portentum, quod idem enarrat Joannes (b) de Caeci a nativitate illuminatione, quod ad Divinitatis Chriſti manifeſtationem potiſſimum fuiſſe deſtinatum ex ejuſdem Hiſtoriae Sacrae contextu manifeſte liquet; quum nimirum de eodem ſanando Caeco ibidem dicitur (c): *Neque hic peccavit, neque Parentes ejus; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Caetera, quae tum ab Joanne, tum ab aliis Evangeliſtis prodigia Chriſti recenſentur; & quidem aeque illuſtria, conſulto brevitatis ergo praetermittere ſtatuimus; eo quia ſive unum tantum, ſive plura ejuſdem Chriſti afferantur facta ad divinae veritatis robur, ſive ut ajunt, ſigillum, portenta, perinde eſt.

De-

(a) Cap. XI. verſ. 4. & ſeqq.
(b) Cap. IX.
(c) Verſ. 3.

Definitio II.

§. 224. *Secundus Divinitatis Chriſti ejuſque caeleſtis prorſus Doctrinae character ex horrenda ſemperque memoranda in Judaeos ab ira Dei immiſſa ultione luculenter deſumitur:* Adverſus eam Nationem nimirum vindicta a Deo ſumta eſt, cujus ſaeva & perfida ſententia Chriſtus ſuae Divinitatis Praedicator Crucis ligno confixus pependit.

Scholion.

§. 225. Quam terribilis fuerit Judaeorum ruina, diſperſio, atque horrendum eorum a florentiſſimo Sacerdotii & Imperii ſtatu excidium, nemo eſt, qui non plane in hiſtoria ſit hoſpes, ignarus. Luculentum vero eorum omnium, quae Romanorum armis Hieroſolymis atque in tota Palaeſtina contigerunt, teſtimonium ubique accuratiſſimum in celebri Joſepho Flavio ejuſdem nationis Hiſtorico occurrit (a). Urbis totius vaſtiſſimae, Templi ditiſſimi atque magnificentiſſimi a fundamentis everſionem & conflagrationem; quemadmodum tum a commemorato tum ab aliis Scriptoribus referuntur; ita Chriſtum Dominum multo

ante

(a) De bello Judaico.

ante fuiſſe eadem vaticinatum, Judaeiſque comminatum legitur (a): Tametſi vero tantum ejus Populi excidium ſingularibus divinae vindictae argumentis palam oſtenſum fuerit, ac tum interfectorum tum captivorum numerus penè immenſus enarretur; attamen Judaica per omnes gentes ita facta diſperſio, ut nulla deinde induſtria opibus atque potentia in Regnum atque Religionem ad noſtra uſque tempora valuerit adunari, id tantam menti bene informatae vim facit, ut idipſum ab ultrice Dei voluntate prodiiſſe firmiſſime debeat arbitrari. Qui rem probe demonſtratam ac perſpicuis validiſque rationibus communitam noſcere cupit, Chryſoſtomum (b), Nazianzenum (c), Theodoretum (d), alioſque adeat. Quum igitur Chriſti ſceleſtiſſimi interfectores criminis adhuc paenas dare illas comperiantur, quas Chriſtus ipſe, priuſquam haec contigiſſent, aperte praedixerat;

(a) Lucae Cap. XIV. verſ. 42. Matthaei Cap. XXIV. verſ. 7.
(b) Orat. II. & III. adverſ. Judaeos, tum in Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus*.
(c) Orat. III. contra Julian.
(d) Lib. III. Hiſt. Eccleſ. Cap. XX.

rat; dicendum jure videtur, tantum miraculum Filii Dei Divinitatem invicte confirmare.

Definitio III.

§. 226. *Tertius Divinitatis Chriſti ejuſque a ſe conditae Chriſtianae Religionis veritatis character ex admiranda petitur Reſurrectione, quam prius de ſeipſo fore eventuram clare fuerat teſtatus.*

Scholion.

§. 227. Jeſum Chriſtum tertia poſt ejus necem die fore a mortuis ſuſcitandum, ipſemet diſertiſſime teſtatus fuerat; quemadmodum Joannis enarratione (a) legenti patere poteſt. Reipſa vero, ut praedixerat, reſurrexiſſe tanta ſignorum atque invictiſſimorum argumentorum evidentia infenſiſſimis etiam Judaeis inimicis conſtitit, ut nunquam Evangeliſtis ejuſdem facti coaevis enarrantibus obſiſtere & contradicere auſi ipſi fuerint.

Corollarium.

§. 228. Quum ergo miracula patrare Filius Dei proprium ſit (§. 206.), neque ipſe in mendacii confirmationem ea poſſit adhibere

(a) Cap. II. verſ. 19. nec non Cap. VIII.

bere (§. 208.), conſequitur, *ſtupendam Chriſti Reſurrectionem ipſius Divinitatem, atque Evangelicas Inſtitutiones firmiſſime credendas exponere.*

D E F I N I T I O IV.

§. 229. *Quartus Divinitatis & Chriſtianae Religionis character ex admirabili Mundi ad Crucis cultum converſione depromitur.*

S C H O L I O N.

§. 230. Quinam fuerit univerſorum hominum in moribus, opinionibus, variiſque Religionibus ſtatus, quum Chriſtianae Veritatis Praedicatores in omnes Orbis Regiones ſunt diſperſi, ſatis, ut reor, ſuperius (§. 199. §. 200.) adumbrare ſtuduimus. Attamen una Piſcatorum rudium atque ineruditorum praedicatione, & Dei opitulante virtute, abſque armorum potentia totam hominum univerſitatem ad Chriſti obſequium fuiſſe perductam, facti evidentia nimium oſtendit. Mundus nimirum ad credendum permotus eſt, hominem Crucifixum Dei Filium eſſe, ad alia difficillima recipienda Myſteria, ad amplectendam legem carni & ſanguini repugnantem, atque ad majorum ſuorum antiquos mores Reli-

gio-

gionemque deferendam. Id tam mirum videri debet, & ſupra humanas vires poſitum, ut totum divinae potentiae referri debeat acceptum; quemadmodum inter reliquos Patres egregie hiſce verbis argumentatur S. Joannes Chryſoſtomus (a). *Non enim moverunt arma* (Apoſtoli), *nec expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine uſi ſunt, ſed verbo ſimplici & multam habente virtutem ac miraculorum oſtenſionem: Crucifixum enim praedicantes, & miracula facientes totum orbem ſibi ſubjecerunt; propterea dicit:* Dabit verbum evangelizantibus virtute multa: *miracula ſignificans. Etenim mira virtus erat, piſcatorem, publicanum, tabernaculorum opificem nudis praeceptis mortuos ſuſcitare, Daemones expellere, mortem abigere, Philoſophorum linguam mutam facere, rhetorum ora conſtringere, Principes ac Reges ſuperare, Barbaris, Graecis, & omni generi hominum imperare. Nam omnia haec verbo illi perfecerunt, & virtute multa mortuos in vivos mutaverunt, peccatores in juſtos, caecos in videntes, & morbos naturae*

(a) In Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus.*

turae ac malitiam animae expulerunt. Eadem aut pene ſimili argumentatione ad id oſtendendum utitur S. Auguſtinus (a): *Nam Fides*, inquit, *Chriſti ſub Auguſto & Tiberio, quo tempore maxime eruditio florebat, praedicari caepit, & tunc non ſolum populus, ſed multi ex ſapientibus crediderunt Reſurrectionem Chriſti, atque in Caelos Aſcenſionem, aliaque Myſteria, quae mens humana reſpuiſſet, niſi eam fieri potuiſſe atque factam eſſe divinitas ipſius veritatis, vel veritas divinitatis, conſtantiaque miraculorum ſigna monſtrarent, ut terrentibus & contradicentibus tam multis, tamque magnis perſequutionibus praecedens in Chriſto, deinde ad novum ſaeculum in caeteris ſequutura Reſurrectio, atque immortalitas carnis, & fidiſſime crederetur & praedicaretur intrepide, & per orbem terrae publicaretur, ac faecundius cum Martyrum Sanguine ſereretur*. Plura quoque, & quidem evidentiſſima ad rem noſtram argumenta occurrerent, niſi brevitatis ratio prohiberet. Ex omnibus vero efficaciſſimum conficitur Dilemma: Nam vel Apoſtoli

(a) Lib. XXII. De Civitat. Dei Cap. VII.

poſtoli Chriſti Servatoris Cruci a Judaeis confixi, aliorumque Chriſtianae Religionis Sacramentorum Praedicatores, haec omnia miraculorum ope Mundo perſuaſerunt; vel abſque ulla ſignorum exhibitione: Si prius aſſeratur, continuo convincitur, eandem praedicatam doctrinam veram eſſe, Deumque (qui in erroris confirmationem portenta adhibere nequit) (§. 208.) habere Auctorem; ſin alterum concedamus, hoc ipſum majus eſſe portentum certo certius evincit; quod ſcilicet tantam Deus Apoſtolicis verbis efficaciam contulerit, ut homines nullo conſpecto miraculo ab incredibili morum foeditate ad tam arduam vitae immutationem celeriter converterentur.

DEFINITIO V.

§. 231. *Quintus Chriſtianae Doctrinae divinitatis veracitatiſque character ex ejuſdem Religionis a pluribus ſaeculis ad noſtra uſque tempora perſeverantia liquido eruitur.*

SCHOLION.

§. 232. Quot quantaque fuerit adverſus Chriſti Religionem plurimorum perſequutorum ferocia; prioribus potiſſimum ab ejus

inſti-

inſtitutione ſaeculis; longum eſſet hic hiſtoria perſequi velle. Attamen ex Eccleſiaſticis monumentis tam firmum & apud omnes conſtans eſſe inpraeſentiarum contendo, ut obſtantibus licet infenſiſſimorum hominum molitionibus, quae Chriſtus ipſe fuerat diſerte pollicitus (a) ad amuſſim impleta cernantur. S. Joannis Chryſoſtomi egregius locus, & vere aurea animadverſio veritatis hujuſce robur extollit: *Numera*, inquit ipſe (b), *quot Tyranni ab illo tempore adverſus ipſam inſtruxerunt acies, quot graviſſimas perſequutiones moverunt, quomodo toto priore tempore, quando novitia erat fides, & nuper plantata, teneraeque hominum mentes, Gentiles regnabant, Tiberius, Cajus, Nero, Veſpaſianus, & Titus, & poſt illum omnes uſque ad Conſtantini tempora, & omnes illi, alii minus, alii ſaevius infeſtabant Eccleſiam; infeſtabant tamen omnes: Veruntamen inſidiae & machinationes illae omnes levius, quam aranearum telae diſcerptae ſunt; & ea quibus nos invadebant, & ea quibus inſidiabantur*

R *citius*

(a) Matthaei Cap. XVI. verſ. 18.
(b) In Orat. *Quod Chriſtus ſit Deus*.

citius fumo diſſoluta pulvere praeterierunt infirmiora. Niſi vero haec Religio naturae humanae maximopere adverſa ſingulari Dei protectione ſervata fuiſſet, jam multis ab hinc ſaeculis (quemadmodum rerum humanarum eſt conditio) penitus interiiſſet. *Non ſolum hoc mirum eſt*, idem habet Chryſoſtomus (a), *quod aedificavit eam per totum mundum, ſed quod invictam fecit, & invictam; licet tot bella inſurgant. Hoc enim eſt, quod portae inferi non praevalebunt adverſus eam. Vidiſti praedictionem veritatis? Vidiſti eventus certitudinem, ac robur? Vidiſti verba in operibus relucentia, & virtutem abſque armis omnia facile conficientem? Nec ideo quia paucis dicitur:* Aedificabo Eccleſiam; *traſcurras obiter, ſed conſidera & cogita tecum, quid ſit in tam brevi tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi, ut proprias leges abrogent, conſuetudinem ſtabilitam, & radicatam evellant, imperium voluptatis, nequitiae vim tamquam pulverem abiiciant, Altaria, Templa, & Statuas, & ſacrificia,*

(a) *Ibidem*.

tia, & *prophana Feſta*, & *immundum odorem*, *ſicut fumum aliquem aboleant*, & *excitent altaria ubique gentium*.

DEFINITIO VI.

§. 233. *Sextus chriſtianae Religionis character*, *ejuſque veracitatis nota ex Martyrum plurimorum teſtimonio*, *qui ſanguinem*, *vitamque pro ejuſdem Religionis adſertione profuderunt*, *evidenter erui debet*.

SCHOLION.

§. 234. Quot, & quam multi in faſtis Eccleſiaſticis glorioſi recenſeantur fidei noſtrae Martyres, qui adverſus Chriſtiani nominis perſecutores pro tuenda veritate fortiter decertaverint, atque invicte triumphaverint, is ſolum accurate compertum habere poteſt, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria ſit apprime verſatus: Quamvis, ut verum fateamur, abſque numero ii potius dicendi ſunt noſtris praeſertim temporibus, de quibus ſua aetate Auguſtinus haec habet (a): *Quis enumeret*, *quam multi quantalibet ſevitia crudelitatis occidi*, *quam Chriſtum Deum negare maluerunt? Ligabantur*, *includebantur*, *caedebantur*, *torquebantur*, *u-*

R 2 *reban-*

(a) Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. VI.

rebantur, *trucidabantur*, & *multiplicabantur*. Qui igitur hujuſmodi erant, eo ſcilicet fidei ardore inflammati, invicta patientia praeſtantes, atque in ipſis ſaeviſſimis cruciatibus laetantes mortem pro tuenda Chriſti doctrina oppetere videbantur, inſigne profecto ejus Religionis veritatis argumentum praebent.

D E F I N I T I O VII.

§. 235. *Septimus Chriſtianae Doctrinae character ex ſtupenda plurimum Ethnicorum ad Chriſti Fidem converſione peti debet.*

S C H O L I O N I.

§. 236. Non eorum infidelium converſio ſolum magnam pro aſſerenda Chriſti Divinitate vim facit, verum etiam attentius ejuſdem converſionis ſpectandus eſt modus; quo tempore nimirum, aut carnificis, aut apparitoris, aut alterius id genus munere fungebantur, quod perdendae ejuſdem Religionis finem haberet. Quis autem, niſi Deus Omnipotens, infidelium obfirmatam in perſequendo voluntatem repente poterat immutare, ut eam citiſſime Religionem amplecterentur, pro qua videbant homines igne torreri, liquato aduri plum-

plumbo, uncis ferreis dilaniari, aliaque ſaeviſſima tormenta ferre? Quis niſi ſtupidus SS. Martyrum Acta perlegens non continuo intra ſe animo ſtatuat, haec omnia clariſſimum Chriſtianae Veritatis praebere argumentum.

S C H O L I O N II.

§. 237. Quae hucuſque de Chriſtianae Religionis characteribus dicta a nobis ſummatim ſunt, ea tantum reſpiciebant, quae facili mentis diſcretione veram a falſa Religione definire optime poterant, quaeque ad Chriſtianam Fidem eligendam prae reliquis Ethnicorum Religionibus manuducere poterant. Reliqua, quae a Theologis ſaepe explanari ac conſtitui ſolent, ejuſdem Chriſtianae Fidei argumenta & notae, aut non tanti momenti ſunt, aut non ea ſatis recepta, atque perſpecta ſunt hominibus cavillandi ſtudio aſſuetis. Quapropter ſatis ſuperque pro re noſtra factum fuiſſe exiſtimo, ſi vel unum ex praejactis characteribus certo conſtituerimus. Interim vero ad aliquid colligendum animum vireſque impendamus.

Quae ex novo Teſtamento recipienda proponitur hominibus facta Revelatio, Deum Opt. Max. habet Auctorem.

§. 138. *Demonſtratio I.* Revelatio, quae in novo Teſtamento hominibus recipienda propoſita eſt, per Chriſti praedicationem atque doctrinam conſignata omnibus fuit: Atqui Chriſtus illam docere nequiviſſet, niſi Deum habuiſſet Auctorem: Ergo &c.

Prob. min. Chriſtus praeter multa doctrinae ſuae capita ſe Deum eſſe praedicavit: Atque hoc ipſum docere homines non potuiſſet, niſi fuiſſet reipſa Deus: Ergo &c.

Prob. min. Chriſtus ad Divinitatem omnemque Doctrinam ſuam confirmandam, miracula edidiſſe legitur (§. 223. §. 226.): Atqui portenta ulla patrare ipſe non potuiſſet, niſi fuiſſet reipſa Deus: Ergo &c.

Prob. min. Nonniſi unius Dei eſt, aut illius in naturam imperio operari prodigia (§. 206.): Ergo &c.

Demonſtratio II. Chriſtus novi foederis promulgator & Chriſtianae Religionis conditor ſemetipſum tertia poſt ejus necem die a mortuis ſuſcitavit (§. 227.): Atqui

ex

ex hoc conſequitur Doctrinae ſuae Deum habere Auctorem: Ergo &c.

Prob. min. Ea doctrina Deum habet ſolum Auctorem, quae ut Chriſti Divinitatem aſſerit, ita in hujus aſſerti vim admirandam conjungit a mortuis in Chriſti Perſona Reſurrectionem; quae multo ante ab eodem Chriſto fuerat praenunciata: Atqui utrumque eveniſſe certo conſtat (§. 222. §. 228.): Ergo &c.

Prob. maj. Quemadmodum Deus in falſi dogmatis aut mendacii robur miracula nequit adhibere; ita neque propheticam vim opere completam poteſt ulla ratione profundere (§. 208. §. 217.): Atqui utrumque adhibuiſſe in Chriſtianae Religionis & Chriſti Divinitatis confirmationem eſt indubitatum: Ergo quum Chriſti doctrina utroque veluti ſigillo communiatur, ipſa profecto Deum habet ſolum ſuum Auctorem.

Demonſtratio III. Divina illa eſt hominibus facta Revelatio, cui miracula & vis prophetica invicte ſuffragantur, & ſingularia divinae erga illam Providentiae argumenta ſuppetias praebent: Atqui praeter

miracula & vim propheticam, ad Chriſtianam Religionem roborandam ſingularia divinae erga illam Providentiae argumenta confluunt: Ergo &c.

Prob. min. Singularia divinae erga Chriſtianam Religionem merito cenſeri debent argumenta, quae in horrenda ſemperque memoranda in Judaeos Chriſti interfectores ultione; quae in admirabili Mundi ad Crucis cultum converſione; quae in ejuſdem Religionis a pluribus ſaeculis ad noſtra uſque tempora, perſeverantia; quae in plurimorum Martyrum pro illius veritate ſanguinem vitamque profundentium teſtimonio; quae in ſtupenda plurium Ethnicorum illam acerrime inſectantium ad Chriſti Fidem converſione tota ex aequo conſiſtunt: Atqui univerſa haec aliaque plura contigiſſe evidenter novimus (§. 224. §. 225. §. 229. §. 230. §. 231. §. 232. §. 233. §. 234. §. 235. 236.): Ergo &c.

S C H O L I O N.

§. 239. Quanquam ex demonſtrationibus hactenus levi calamo elucubratis ſatis ut reor de Religionis Chriſtianae divinitate conſtiterit; nihilominus ad illius neceſ-

ſita-

ſitatem aſſerendam antequam aggrediamur; ac priuſquam omnibus & ſingulis hominibus a Deo illam praecipi reipſa oſtendamus, operae pretium exiſtimo nonnulla animadvertere obiterque exhibere, quae ab impiiſſimis Scepticis objici fortaſſe poſſent; atque una dilucidam eorum explanationem in propatulo exponere. Enimvero quum tota Religionis Chriſtianae Revelatio ejuſque divinitas ex novi Teſtamenti Voluminibus potiſſimum eruatur; in quibus Chriſti dogmata, portenta, prophetiae aliaque id genus enarrantur; ea proinde Increduli Scepticorum argumentis carpere ſolent, ut omnis ab hominum mentibus Religionis a Chriſto conditae perſuaſio auferatur. Optime itaque factum arbitrabor ſi aliquot a ratione & ſanioris critices legibus petitis animadverſionibus de iiſdem ſacris novi Foederis Voluminibus longius quam forte brevitati noſtrae par eſſet, inpraeſens diſſerere ſtudeam. Porro quum duabus omnino partibus tota librorum novi Teſtamenti doctrina abſolvatur; *hiſtorica* nimirum, nec non *dogmatica*, demonſtrare evidentiſſime poſſe non vereor, nihil in

illis

illis ad utrumque genus ſpectans exiſtere; quod aut non veriſimile admodum ſit, aut non magna conſenſione a pluribus narratum, aut quod teſtium omni exceptione majorum auctoritate, falſitatis argui valeat; nihil quoque quum in ejuſdem Religionis *Theoria*, tum *Praxi*, quod non adamuſſim cum ratione ipſa conſentiat, quod non illam emendet potius ac mirifica plane ratione perficiat.

Ut ab hiſtorica ratione exordiamur; neminem latet eorum, qui contra Fidem Pyrroniſmum inſtaurare abhorrent, tria ad hiſtoriam potiſſimum efflagitari; Scriptorum videlicet inter ſe conſentientium *numerum*, *ſcientiam*, *probitatem*. Quod ad numerum pertinet celebre illud inter Clar. Huetii (a) axiomata habent omnes; *Hiſtoriam* ſcilicet, *quae res geſtas ita narrat, ut narrentur in multis libris coaetaneis, vel aetati qua res geſtae ſunt proximis, veram eſſe*: Eae nimirum hiſtoriae, quae juxta hunc Canonem ſcriptis commendantur, niſi verae eſſent, nihil perinde ex veteri haberetur memoria; quod tanquam certum poſſe

(a) Demonſtr. Evangel. Axiom. II.

poſſemus recipere. Circa Scriptorum ſcientiam vero; ſi eos pateat, aut coaetaneos & rebus quas tradunt praeſentes, aut ita proximos ut nullo negotio eas potuerint ignorare, aut nec omnino ſtupidos & rerum de quibus agunt intelligendarum capaces fuiſſe; neutiquam de hiſtoriae veritate ambigere licet; niſi ea forte ſuppetant argumenta, quae teſtimonium allatum longe valeant ſuperare. Circa probitatem hiſtoricorum demum ſedulo ſequentia debent expendi I. an hiſtoriographi aliquo adulationis, ambitionis, amoris, odii, ſpei, aliove id genus affectu correpti litteris prodiderint; II. an perſonarum, quarum res geſtas narrant, vel exiguas virtutes ſtudioſe conquirant, omniaque ſub illuſtri, ut ajunt, adſpectu exhibeant atque exaggerent, vitia ex adverſo & probra quaevis occultare nitantur; III. an ipſi, quum ſcriptioni operam dabant, voluptatem utilitatemque ex conflata hiſtoria comparandas ſibi propoſuerint. Sin contra horum nihil in quibuslibet hiſtoricis ſuſpicari poſſimus; eos continuo integrae probitatis & fidei fuiſſe nobis haudquaquam ex omnium Cri-

tico-

ticorum ſuffragio licebit dubitare. Porro hiſce ſemel conſtitutis facili, ut reor, methodo oſtenditur, novi Teſtamenti hiſtoriam indubiis veritatis characteribus gaudere. Etenim res a Chriſto ejuſque Apoſtolis geſtae narrantur a pluribus, & quidem coaevis plerumque teſtibus oculatis, nec barbaris, nec omnino idiotis, & rerum ſaltem de quibus ſcribunt intelligendarum capacibus. Ab iis praeterea res geſtae poſterorum memoriae traduntur, qui ut Chriſti ſcita & doctrinam propugnarent graviſſima pericula, dolores, & mortem denique ſubiere; qui nullum ab hominibus commodum aut ſperabant aut praeſtolari poterant, eo quia eorum praecepta vitae praeſentis bona abdicare & adſpernari univerſa ad felicitatem aeternam aſſequendam praedicarent; qui tandem Magiſtri ſui probra ſingula, aliorumque Apoſtolorum leviſſima vitia diſtincte enarrare haud praetermittunt. Ipſae praeterea hiſtoriae eadem prorſus ratione ab iis narrantur Chriſtianis, qui aetati illi proximi fuerunt, & quorum plures Philoſophi erant acutiſſimi ab Ethniciſmo ad Chriſtianam

legem

legem nuper converſi; quos inter Juſtinus, Ignatius, Polycarpus praeclariſſimi Martyres; Theophilus Antiochenus, Tatianus, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, aliique recenſentur. Neque profecto iſtorum ſolum auctoritate Evangelicae narrationes fulciuntur, verum etiam apertiſſimis teſtimoniis Judaei atque Gentiles fidem faciunt. Pauca duntaxat attingam atque praecipua, quum id abunde ſatis a Viris doctiſſimis actum fuerit. Ac primum Joannem Praecurſorem Domini cognomento Baptiſtam Judaeos ad virtutem atque pietatem excitaſſe, & lavacrum dimittendis peccatis adhibuiſſe Joſephus, Flavius in Antiquitatum Judaicarum libris locupletiſſimus eſt teſtis. Jeſum Nazarenum vixiſſe quondam in Judaea rerum Romanarum potiente Imperatore Tiberio Caeſare, non tam univerſus Chriſtianus Orbis, ſed & Judaei omnes, & Gentiles ipſi teſtantur; Suetonius in primis (a) & Tacitus (b); tum Plinius Junior diſertiſſime (c).

Jeſum

(a) In Claudio Cap. XXV.
(b) Annal. Lib. XV.
(c) Epiſt. XCVII.

Jeſum praeterea ipſum in Judaeae Oppidulo ex paupercula puella Fabro Lignario deſponſata natum fuiſſe, & in Aegyptum quoque aufugiſſe faſſus eſt Celſus (a) Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus. Quid plura? Edita a Chriſto ejuſque Apoſtolis miracula faſſi etiam ſunt Hebraei Talmudici Operis conſarcinatores, ut totius Orbis luculentiſſimum ex omni gente praetеream teſtimonium.

Ut ad alterum, quo novi Foederis Libri conſtant, genus tranſeamus; *dogmaticam* nimirum partem; ea quoque bipartita mihi continuo occurrit in *Theoriam*, nec non *Praxim*; quarum illa ſpectat quae de Deo diviniſque rebus ſcire, haec vero quae agere homines oportet. Porro Theorica dogmata ita cum rectae rationis notionibus probe conſentiunt, ut impii homines quotquot ſunt vel utraque excipere, vel utraque debeant repudiare. Id paucis & per ſumma tantum Capita demonſtrabimus. Novi Teſtamenti Codices Deum cumprimis docent exiſtere, eumque purum eſſe ſpiritum (b); ipſum aeternum praeterea eſſe atque

(a) Apud Orig. Lib. I. contr. Celſum.
(b) Joannis Cap. IV. verſ. 23. & 24.

que immenſum (a). Ex iiſdem eruitur, eundem unicum (b), bonum atque beneficum (c), immutabilem & immortalem (d), omniſcium (e), omnipotentem (f), univerſi hujus conditorem curatoremque (g), peccatorum vindicem virtutiſque pro aequitate remuneratorem (h) eſſe. Alia demum in eiſdem ſacris voluminibus theoretice tradita, & ad credendum hominibus propoſita Chriſtianae Fidei aſſerta, quae idem cum reliquis mox recenſitis evincunt, diſertiſſime leguntur. Etenim rationales animas immortali aevo poſt mortem victuras aperta doctrina in illis extat (i); eaſdemque pro diverſis rerum geſtarum meritis, aut praemia, aut ſupplicia aeterna manere (k); ut

(a) Ad Timoth. Cap. I. verſ. 17.
(b) Ad Epheſ. Cap. IV. verſ. 6.
(c) Lucae Cap. XVIII. verſ. 19.
(d) Ad Rom. Cap. I. verſ. 23. & Jacobi Cap. I. verſ. 17.
(e) Actor. Cap. XV. verſ. 18.
(f) Ad Hebraeos Cap. VI. verſ. 16.
(g) Matthaei Cap. XIX. verſ. 26. & ad Cor. Cap. VI. verſ. 18.
(h) Ad Rom. Cap. XI. verſ. 6. & 19. Ad Teſſalon. Cap. I. verſ. 6.
(i) Matthaei Cap. X. verſ. 28.
(k) Ibid. Cap. XXV. verſ. 30.

ut alia id genus plura praeteream, quae nuper expoſita paſſim confirmant atque egregie ſemper illuſtrant; ideoque de Chriſtianae Religionis Theoria, pro brevitate noſtra jam ſatis. Quare continuo ad Praxim obiter expendendam deveniamus. Equidem moralis Chriſtianorum librorum pars, ut primum menti nulla affectuum vi correptae & praeoccupatae occurrit, ſtatim exactioribus naturalis Philoſophiae notionibus plane cohaerens & ad veritatis lancem expenſa omnimode apparet; quinimmo Aethicem ipſam ab humana ratione tradi ſolitam aut novis in dies proficuiſque auget luminibus, aut in pluribus caſtigat, aut falſa Philoſophorum ſyſtemata evertit, aut homines Deo, ſibi, caeteriſque conciliat, & humanam ſocietatem mirifice fovet atque tuetur. Verum haec omnia explanemus uberius. Enimvero officiorum, quae naturalis ratio praeſcribit tria ſumma Capita, a ſapientiſſimis Viris ſecreta fuiſſe conſpicio: Aut enim ipſa erga Deum Opt. Max., aut erga noſmetipſos, aut erga alios demum quos nobis ſimiles natura ſociavit, ſedulo ſunt impendenda.

Digitized by Google

Ipſa nimirum naturalis ratio nos intime docet Deo Opt. Max. amantiſſimo Parenti noſtro, excellentiſſimo Domino, Benefactori & Curatori ſapientiſſimo amorem, obſequium, famulatum, invocationem, gratiarum actionem aliaque ipſo digna officia fore praeſtanda: Eadem perinde mentibus noſtris illuceſcente ratione edocemur nobiſmetipſis curam tum totius hominis, tum partium noſtri ſingularum & animi quidem majorem (quae omnium eſt praeſtantiſſima); corporis vero minorem habendam eſſe; omneſque tandem conatus noſtros ad veram beatitudinem fore dirigendos. Ipſamet demum ratione dictante caeteris hominibus nobis natura ſimilibus juſtitiae amorem conſtantem ſervare praecipimur, ne ulla ſcilicet eos ratione laedamus, eiſdemque quod ſuum eſt tribuamus, atque omnino, quoad nobis licet, benefaciamus. Itaque ſi ſcripturae Evangelicae conſulantur, Deum eſſe, & quidem ſuper omnia, diligendum praedicant (a): Porro omne ſtudium noſtrum in eo poſitum eſſe debere praeſcribunt, ut ipſi placeamus, atque ita

S reli-

(a) Matthaei Cap. X. verſ. 47.

reliqua omnia diligamus, ut comparatione facta ea ferme non amemus (a). Hujuſce item amoris luculentum eſſe argumentum, ſi Dei dilecti praecepta ſervemus, non minus dilucide apparet (b). Supremum hoc Numen quoque colendum, glorificandum, honorandum, in eo uno fidendum atque ſperandum, timore filiali formidandum, invocandum, & orandum, illi gratias propter accepta beneficia agendum; & haec quidem omnia eidem non externis tantum ſignis, ſed in ſpiritu; non in futili ſuperſtitione, ſed in veritate atque ex puro corde exhibenda paſſim & perpetuo legenda ſerioque contemplanda occurrunt (c). Quod vero ad nos attinet, praecipitur nobis ſtudere, non bonis hujus vitae quae praeterit, ſed aeternis, quae nos vere ſempiterneque beatos facere valent; atque in hujus

(a) Ad Corinth. Cap. VII. verſ. 29. & ſeq.

(b) Joan. Cap. IV. verſ. 21. nec non Epiſt. I. verſ. 3.

(c) Matthaei Cap X. verſ. 47. I. ad Corin. Cap. VII. verſ. 29 & ſeq. Joan. Cap. IV. verſ. 21. & Epiſt. I. Cap. III. I. ad Tim. Cap. I. verſ. 17. Matth. Cap. VI. verſ. 25. Ibid. Cap. IV. verſ. 10. Ibid. Cap. VII. verſ. 7. Ad Rom. Cap. XII. verſ. 12 Joannis Cap. IV. verſ. 23. Ad Epheſ. Cap. III. verſ. 20.

jus beatae vitae comparationem nedum u-xorem, filios, parentes, amicos, fortunae commoda quaeque, verum etiam vitam ipſam adſpernari ac perdere jubemur (a). Circa alios homines erga ſpeciem humanam amor; erga univerſos homines ſcilicet nobis natura ſimiles; in Scripturis Sanctis perpetuus eſt: Ex quo profecto caetera fluunt in humanam ſocietatem officia, quibus tranquillitas tuta ſervatur. Recte propterea D. Paulus egregia id totum ratiocinatione concludit (b): *Reddite igitur omnibus quod debetis; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timor, timorem; cui honor, honorem. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: Nam qui diligit proximum, legem implevit; ſiquidem non maechaberis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud praeceptum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

Haec itaque delibaſſe ſufficiat, ut infra brevitatis noſtrae coarctatos limites non

 obſcu-

(a) Matthaei Cap. XVI. verſ. 24. Lucae Cap. IX. verſ. 23. Ad Titum Cap. XI. verſ. 12.
(b) Ad Rom. Cap. XIII. verſ. 6. & ſeqq.

obſcura demonſtrationis luce pateat, quam firma & inconcuſſa Religionis noſtrae veritati credibilitatis motiva ſuffragentur, & quantum undique iis ſepta ſit & communita. Quacumque ergo via adverſarii, ſive Sceptici ſive Deiſtae, inaniſſimis & plane futilibus argumentis nos adoriri nitantur, facili ea negotio proſterni ab unoquoque harum rerum non plane ignaro poterunt. Ne vero eorum vos plane jejunos dimittam, unicum hic vobis exhibeam, ut ex illo elumbi non parum caetera conjiciatis. *Chriſti* (inquiunt) *diſcipuli, qui veteris Teſtamenti Librorum auctores eſſe feruntur, homines erant inalphabeti, ideſt litterarum inſcii: Conſcribere igitur ipſi libros non poterant: Genuini ergo haudquaquam ſunt.* Proh praeclaram argumentandi vim! Quis veſtrum propter inſulſam dicacitatem potius, quam argumentationem non admiretur, neque intra ſe non ſtatuat, hoſce diſceptantes litterarum omnino inſcios eſſe oportere? Etenim eorum plures Chriſti diſcipulos, qui Evangelicarum rerum ſcriptores fuiſſe ab omnibus Orthodoxis creduntur, litteras ſciviſſe primo conſtat: Mat-

thaeus

thaeus enim, quum telonio praeeſſet, litterarum erat haud dubium peritus; Lucas itidem Philoſophiae & Medicinae, quum ad Apoſtolatum & ad Evangeliſtae munus vocatus eſt, operam dabat; quemadmodum D. Hieronymus fidem facit in ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis vulgatiſſimo Opere. Paulus quoque in Moſaica lege; ut ipſe de ſemetipſo teſtatur; a Gamaliele fuerat eruditus: Marcus vero ab Apoſtolis in Chriſtiana Philoſophia ut fuerat inſtitutus, atque Alexandriae praefectus Epiſcopus, ita omnis recta poſcit perſuaſio ut tanto muneri impar & rerum ignarus ab iiſdem conſtitutus fuiſſe non credatur. Tota itaque dubitatio Jacobum, Joannem, Petrum, Judam caeteroſque Apoſtolos ſpectat; quod ipſi nimirum in his ipſis libris piſcatores fuiſſe tradantur. Attamen id non obſtat, quominus legere & ſcribere noverint, quum Hebraei ferme omnes, qui legem ediſcere praecipiebantur, eidem aſſidue ſtuderent. Quare Origenes (a) non immerito teſtatum reliquit, Piſcatores utique Apoſtolos, ſed non profeſſione atque inſtituto nautas fuiſ-

 ſe,

(a) Lib. I. adverſ. Celſum.

ſe, ut neceſſe proinde fuerit litteras ignorare. Plura ad rem noſtram reſpondere fas eſſet, ut ſcrupuli propoſiti imbecillitas appareret: Verum haec dixiſſe ſatis ſit, atque ad alia colligenda progrediamur.

COROLLARIUM I.

§. 240. *Ergo Religionis Chriſtianae veritas viro docili probeque informato evidentem vim facit.* Enimvero tam conſpicua ſe offerunt Religionem Chriſtianam cuipiam expendenti divinae in ipſa veritatis argumenta & characteres, ut ſtupidus & plane in rebus dignoſcendis plumbeus ſit neceſſe eſt, ſi forte in dubium audeat illam revocare. *Nullus ergo his contradixerit*, ita per belle concludit Chryſoſtomus (a), *niſi qui valde inſanus & totus ſtupidus, naturaeque ſenſu privatus.*

COROLLARIUM II.

§. 241. *Ergo Chriſtiane Religionis veritas aeque indubia cuipiam videri debet, ac ſe exiſtere ac vivere pernoſcit.* Recte propterea S. Auguſtinus (b) *Facilius*, inquit, *dubitarem, me vivere, quam vera eſſe quae audivi.*

Co-

(a) In Oratione *Quod Chriſtus ſit Deus.*
(b) Lib. X. Conf. Cap. X.

Corollarium III.

§. 242. *Ergo tam certa tamque firma eſt Religionis Chriſtianae veritas, quam Deum fallere homines nullatenus poſſe aut in errorem perducere.* Merito idcirco Richardus a S. Victore (a) ſcite pronunciare non dubitavit, quum de ejuſdem Fidei Chriſtianae characteribus differebat: *Domine ſi error eſt, quod credimus a te decepti ſumus:* Atque hujus afferti rationem paulo ante tradiderat: *Myſteria namque noſtrae Fidei tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis divinitus ſunt confirmata, ut genus videatur eſſe dementiae in his vel aliquantulum dubitare.*

Corollarium IV.

§. 243. *Ergo naturali tantum rationis ductu unuſquiſque Chriſtianae Religionis veritatem divinitatemque expendens, vi quoque ſua veram a falſis quibuslibet Religionibus dignoſcere valet.* Quaecumque enim illam tanquam veram & a Deo profectam confirmant, evidenti rationum pondere viro cuipiam docili probeque informato vim faciunt (§. 240.)

(a) Lib. I. De Trinitate Cap. XXII.

§. 244. Ergo Eccleſia Chriſti tam manifeſtis fulget inſignibus, ut nonniſi renuentibus Fidei lumen poſſit ignorari. Jure propterea Regius Pſaltes de illa multo antea fuerat vaticinatus (a) *In ſole poſuit Tabernaculum ſuum:* Nimirum, ut in eum locum interpretatur Auguſtinus, *in manifeſtatione poſuit Eccleſiam ſuam, non in occulto;* ac quemadmodum alibi docuerat idem S. Doctor (b), *ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, ideſt in manifeſtatione, omnibus nota uſque ad terminos terrae.* Unde Origenes de eadem rectiſſime dixerat: *Eccleſia plena eſt fulgore ab Oriente in Occidentem* (c).

PROPOSITIO XVI.

Chriſtianae Religionis Revelatio, Deo ejus Auctore praecipiente, omnibus indiſcriminatim hominibus recipienda ac ſervanda proponitur.

§. 245. *Demonſtratio* Illud a Deo praecipitur ſervandumque proponitur, ſine quo homi-

(a) Pſal. CLXXXVI.
(b) Epiſt. CLXVI. ad Donatiſt.
(c) Hom. XXX. in Matth.

hominis quum vita praeſens, tum futura illius poſt mortem beatitudo, juxta rationalem naturam ſubſiſtere & obtineri non poteſt: Atqui utraque hominis vita abſque Chriſtianae Religionis Revelatione nedum obtineri, ſed nequidem intelligi ullatenus poteſt: Ergo &c.

Prob. min. Hominis vita praeſens ad rationalis naturae normam compoſita rectam de Deo Opt. Max. opinionem, nec non bene inſtitutum vivendi genus reſpicere debet (§. 181.); ſive in *theoretica* & *practica* Religione ita eſt conſtituta (§. 183.), ut ex adverſo omnis in ipſa Religione error & indebitus cultus ab illa propulſetur (§. 185. §. 187. §. 188. §. 189.): Futura deinde hominis beatitudo ſincerae Religionis, merito conſentaneis operibus comparato respondet, quum illi poſt corporis mortem a Deo praemium immortale confertur (§. 195.): Atqui neutrum ab homine obtineri & concipi abſque Chriſtianae Religionis Revelatione poteſt: Ergo &c.

Prob. min. Hominis vita praeſens recta de Deo opinione gubernari abſque Revelationis lumine aliquo non poteſt (§. 218.):

Ergo

Ergo nec illi poſt corporis mortem praemium immortale conferri: Atqui Revelationis lumen adeo homini neceſſarium, aliud a Chriſtiana & Evangelica doctrina eſſe nequit: Ergo &c.

Prob. min. Ea prae reliquis a Deo profecta haud dubium aſſerenda eſt, atque hominibus ſervanda ad utramque vitam obtinendam propoſita ſive praecepta Revelatio, quae ipſo rationis naturalis lumine a reliquis diſcerni ab unoquoque poteſt: Atqui hujuſmodi eſt Chriſtianae Religionis Revelatio: Ergo &c.

Prob. min. Quiſquis de Deo probe ſentiens intimo novit rationis judicio eam Revelationem, tanquam ad utramque vitam tuto obtinendam ſummopere neceſſariam, a Deo ejus Auctore praecipiente fuiſſe profectam, in cujus robur confirmationemque miracula plura ſunt patrata, prophetiae completae leguntur, & ſingularia divinae erga illam Providentiae argumenta ſuppetias praebent: Atqui Chriſtianae Religionis Revelatio hiſce gaudet indubiis characteribus (§. 223. §. 224. §. 225. §. 229. §. 230. §. 231. §. 232. §. 233. §. 234.

§. 234. §. 235. §. 236. §. 239.): Ergo ejus naturae eſt Chriſtianae Religionis Revelatio, ut ipſo rationis naturalis lumine tanquam ad utramque vitam obtinendam neceſſaria, & a Deo ejus Auctore hominibus ſervanda propoſita ſive praecepta a reliquis Revelationibus diſcerni ab unoquoque poſſit.

S C H O L I O N.

§. 246. Jam ſatis de totius naturalis Theologiae ſingulis Capitibus actum a nobis ſummatim eſſe non dubito: Quae certe ſi pro praeſtantiſſima eorum dignitate fuiſſent pertractanda, non adhuc ad Operis dimidium nos pertigiſſe videremur. Atque eo magis caeptum de divinis rebus curſum protrahendum eſſe ſciendi cupiditas ſuaderet, quo meliora exinde mihi occurrere conſpicio ex Chriſtiana Religione ejuſque veraciſſima Revelatione deſumta, quibus omne illius Theologiae fundamentum, quae a Catholicis Diſputatoribus, Eccleſiaſticis potiſſimum, verſari in Scholis ſolet, penitus innititur. Quoniam vero quae ad hanc Theologicam facultatem pertinent, tametſi auguſta, perutilia, & maximo-

ximopere neceſſaria, non hujus loci & temporis ſit vos edocere, atque ea ipſa ad provectiorem aetatem ſint differenda, recte proinde factum exiſtimavi, poſt demonſtratam ejuſdem Chriſtianae Religionis neceſſitatem veracitatemque, vos ab hiſce Metaphyſicis Inſtitutionibus continuo dimittere, voſque perinde interim comparare, ut deinceps ad totius Phyſices ſtudium ſedulam cogitationem convertatis: Ita enim probe inſtituti, non vereor certe, quin Theologicis etiam Diſciplinis excellentes facilius ſitis evaſuri.

Interea reliquum mihi ſupereſt tandem vobiſcum etiam atque etiam gratulari, quod haec metaphyſices ſtudia, quae vobis aſpera fortaſſe atque inſuavia praejudicata opinione in ipſorum limine videbantur, non celeri curriculo ſolum, verum etiam cum magna voluptate confeceritis.

VOLUMINIS SECUNDI
ET TOTIUS METAPHYSICES FINIS.

INDEX

CAPITUM, SECTIONUM, ATQUE PROPOSITIONUM

QUAE IN HOC PRIORI METAPHYSICES VOLUMINE CONTINENTUR.

METAPHYSICES PARS TERTIA.

PNEUMATOLOGIA SIVE DE ANIMAE BRUTORUM NATURA EJUSQUE VIRIBUS.

CAPUT UNICUM. Pag. 63
PROPOSITIO I. *Anima belluarum materialis non eſt.* 65
PROPOSITIO II. *Belluae veris voluntatis appetitionibus, nec non averſationibus bonum amore, & malum fuga proſequuntur.* 74.
PROPOSITIO III. *Anima belluarum ſubſtantia ſpiritalis eſt.* 77.

ME-

METAPHYSICES

PARS QUARTA.

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT I. *De Dei Natura.* 95.

PROPOSITIO I. *Dei Opt. Max. Natura per id conſtituenda eſt, per quod ipſe eſt id quod a ſe eſt.* 99.

PROPOSITIO II. *Perfectiſſima Dei Opt. Max. natura neceſſario exiſtit.* 100.

PROPOSITIO III. *Mundi hujus adſpectabilis exiſtentia, Deum quoque tanquam aliquid ab eo plane diverſum exiſtere demonſtrat.* 124.

PROPOSITIO IV. *Unus tantum Deus univerſi Conditor exiſtit.* 132.

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT II. *De praecipuis atque notioribus Dei attributis.* 138.

SECTIO I. *De voluntate Dei.* 140.

PROPOSITIO V. *Per id conſtituitur Dei voluntas, per quod Deus eſt.* 156.

PROPOSITIO VI. *Dei voluntas nulla vi ad diligendum cogi poteſt.* 157.
SECTIO II. *De Scientia Dei.* 159.
PROPOSITIO VII. *Deus tum ſui, tum rerum omnium ſcientiam habet immutabilem.* 168.
SECTIO III. *De Dei bonitate atque beneficentia.* 170.
PROPOSITIO VIII. *Ita Deus Opt. Max. infinite bonus eſt atque eximia beneficentia praeſtans, ut nullum malorum genus ſit in Creaturis repertum, quod perfectioni ſuae vel minimum valeat detrahere.* 177.

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT III. *De Dei erga Creaturas omnigena Providentia.* 180.
SECTIO I. *De Deo rebus omnibus & ſingulis proſpiciente.* 181.
PROPOSITIO IX. *Nihil exiſtit entis phyſici rationem habens, quod divinae Providentiae non ſubſit.* 182.
SECTIO II. *De Deo omnibus & ſingulis rebus concurrente.* 188.

PRO-

PROPOSITIO X. *Simultaneus Dei cum omnibus & ſingulis creaturarum effectibus concurſus a divina Providentia, abſque illius injuria, nequit ſeparari.* 193.
SECTIO III. *De Deo omnia & ſingula praemovente.* 195.
PROPOSITIO XI. *Deus ideo rerum omnium eſt providus, quia cuncta, quae creaturarum ſunt, praedeterminat.* 198.

THEOLOGIA NATURALIS.

CAPUT IV. *De vero Deo ab hominibus religioſe colendo.* 203.
SECTIO I. *De naturalis erga Deum Religionis neceſſitate.* 205.
PROPOSITIO XII. *Cunctis hominibus ratione naturali recte utentibus Religio in Deum vera neceſſaria eſt.* 214.
SECTIO II. *De vero Deo Revelationis hominibus faciendae Auctore.* 218.
PROPOSITIO XIII. *Revelationem omnibus hominibus ad Deum rite colendum neceſſariam fore, naturalis ratio abſque ulla ipſius Revelationis doctrina demonſtrat.* 241.

PRO-

PROPOSITIO XIV. *Quae in Veteri Teſtamento Judaeorum Populo Revelatio facta eſt, Deum habet Auctorem, a quo verae erga ipſum Religionis normam univerſi homines poſſent adhibere.* 244.

SECTIO III. *De vero Deo Religionis Chriſtianae Inſtitutore.* 247.

PROPOSITIO XV. *Quae ex novo Teſtamento recipienda proponitur hominibus facta Revelatio, Deum Opt. Max. habet Auctorem.* 262.

PROPOSITIO XVI. *Chriſtianae Religionis Revelatio, Deo ejus Auctore praecipiente, omnibus indiſcriminatim hominibus recipienda ac ſervanda proponitur.* 280.

005652580

Digitized by Google

Digitized by Google